




EX LIBRIS
W.G. LENNOX

HIERONYMI GABVCINII, FANESTRIS MEDICI, AC PHILOSOPHI,

DE COMITIALI MORBO LIBRI III.

Cum priuilegio Senatus Veneti.



VENETIIS, M. D. LXI.

HIERONYMVS GABVCINIVS AMPLISSIMIS QVINQVEVIRIS, SENATVI, POPVLOQVE FANESTRI, S. P. D.

COGITANTI mihi sæpenumero, & memoria uetera repetenti, Primores Amplissimi, infelices illi fuisse uideri solent, qui quum de Rep. optime meriti fuissent, illamq́; suis præclaris uirtutibus exornassēt, omnes fere graue aliquod incommodum pertulere: perbeatique contra illi fuisse uidentur, qui quum & honoribus, & rerum gestarum gloria floreret, eum uitæ cursum in Rep. tenere potuerunt sua, ut uel in negocio sine periculo, uel in ocio cum dignitate esse possent. Ac mihi quidem, sæpenumero in summos homines, ac summis ingeniis præditos intuenti, quærendum esse uisum est, quid esset, cur plures, quorum opera Resp. uel aucta, uel illustrata fuisset, exilio aut uoluntario, aut coacto mulctati essent, quàm qui eam dignitatem retinuissent, quæ ex rebus pro patria gestis sibi peperere. Ac quocunque me animo, & cogitatione conuerto, permultos uideo claros uiros tum Græcos, tum Romanos, qui Remp. recte administrarunt, aut exilium, aut carceres, aut magistratuū, quos iustissime gessere, priuationem perpessos fuisse. Quis autem dubitet, quin tot belli duces ex urbe Roma præstantissimi, & qui consilio ac sapientia regere, ac gubernare Remp. possent, Camilli, Scipiones, maior inquam, Asiaticus, Africanus posterior, Nasica, Lentulus, omnes sane Corneliæ gentis, Hala Seruilius, permultiq́; alii recuperatæ patriæ, aut libertatis, aut imperii aucti pœnas pertulerint. Quis est etiam, qui si tot amplissimos homines, (de externis loquor,) & rerum gestarum magnitudine clarissimos, & in gubernandis ciuitatibus consilio, ac sapientia præditos animo contempletur, eosdē

uel exilio, uel carceribus, uinculisque, aut etiam morte iniuſtiſsime mulctatos non uiderit? Ac mihi quidem nulla ratio alia excogitari potuit, quàm quædam ſuarũ uirtutum inuidentia, prauorumq; improbitas hominũ: qui quum nulli ſint apti rei uel gerendæ, uel perficiendæ, numeroſioresq; quàm probi ſint, eos odio perſequuntur, mordicusq; laceſſunt, a quibus & a maximis olim periculis liberati, & Reip. imperiũ propagatum ſuæ, nomenq; illuſtratum fuit. Ego uero, quum illud idem in hac Rep. ſæpiſsime fuerim contemplatus, ſane pro eo, ac debui, grauiter, moleſteq; pertuli: præſertim quum uiderim ſpectatæ uirtutis uiros uel in adminiſtranda Rep. integerrimos, ſenatoreſq; optimos, uel in morbis depellendis doctiſsimos, uel conſulendo peritiſsimos, uel in erudiendis adoleſcentibus accuratiſsimos, ab ignauis quibuſdam, rerumq; omnium plane ignaris, inuidiſq; offendi, ac perturbari: quorum cauſſa, quæcunque ea fuerit, uel iuſtiſſima quum aliquãdo in ſenatu agatur, eam omnino euertere nituntur: ac ueluti in patriæ hoſtes, ita in eos turmatim ruunt; ut difficillime quis ſuam tueatur. Ac mihi quidem iſti nõ ita moleſti ſunt, facile omneis perpetior, ac perfero, eoſq; non contumelioſe dimitto, etſi fortaſſe multum habeam etiam negocii. nam efficiunt, ut eorum aſtus me nõ didiciſſe minus pæniteat, minuſq; iam cognitos pertimeſcam. Siquidẽ ὡς ἐγὼ πολλῶν ἀκούσας οἶδα θρίων τὸν ψόφον. Sed quoniam ex chriſtiana religione, Platoniſque ſententia ſatius fore ſemper exiſtimaui iniuriã in ſeſe admittere, quàm alteri inferre, beneficioque potius aduerſarium proſequi, quàm maledictis, aut factis impetere, factum eſt, ut ſemper, quoad eius fieri poſſet, in me ueritatem haberet, quod græce dicitur, ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. etſi apud chriſtianam religionem nulli mortalium Dei Optimi Maximi appellatio uel per iocum ſit cõmunicãda, neq; omnino tam inſignis, tamq; fœda adulatio ſit in mores noſtros recipienda. Ego enim qui a puero eiuſdem Platonis legem ſum admiratus, qui ortus noſtri partem patriam, partem parentes, partem

amicos

amicos uindicare iubebat, omni ſtudio, ac diligentia ef-
feci, ut cum parentes amicosque, tum uel maxime pa-
triam iuuare poſſem meam, atq; etiam, ſi quos haberē,
inimicos. In qua autem magis re patriæ opitulari quis
poteſt, quàm ſi ſingulari cura, atque induſtria ciuium ſuo
rum uitam iam iam fugientem retineat, ſecundamq; ua-
letudinē reſtituat, ſine quibus neque ciuitas dici poſſet?
Illud ipsũ quũ annos permultos ſtudioſe egerim, meæq;
propriæ alienam ualetudinē prætulerim, uix dici pōt, quã
indignanter tulerim, ſi quando ingrati in me animi ciuiũ
meorum notas intueor, quem potius beneficiis ſi nō cu-
mulatioribus, ut Heſiodus ſentit, certe tamē paribus re-
munerare deberent: non mehercule ut mei rationē ha-
berent, ſed ut alios ad literarum ſtudia adoleſcentes in-
genuos pollicitationibus, præmiisq; allicerent: ex quib⁹
poſtea ſenatores optimos, patriæque ſtudioſos uiros ex
ciperent, qui patriam, patriumq; nomen illuſtrare ma-
xime poſſent. quãdo ſi doctorum hominum diſciplinam
negligas, ueluti ſolem de cælo ſuſtuleris, omnis homi-
num uita in tenebris ſit futura. Qui tamen ſi nō illud intē
derent, Dionyſium ſaltem iuniorem illum Siciliæ Tyran-
num imitarentur, qui multos ſeſe alere liberaliũ artium
magiſtros dictitare ſolebat, non quòd illos admiraretur,
ſed quia per illos admirationi aliis eſſe uellet. Vtcũque
tamen ſeſe res habeat, quãdo animi mei mores ſequi po-
tius, quàm maleuolorum inuidiã inſectari conſtitui: Ari
ſtonis ſentẽtiæ non immemor, quem, laudante quopiam
Cleomenis reſponſum, quòd interrogatus quid bonum
Regem efficere oporteat, dixerit, amicis quidem benefa
cere, inimicis autē male, dixiſſe ferunt, & quanto melius
eſt amicis benefacere, inimicos uero ſibi conciliare? hãc
lucubrationem, quã inter publica medendi negocia con
feci, quæcunque ea fuerit, Senatui, Populoq; Faneſtri nũ-
cupare decreui: ut ſi qua unquam in me contulerint be-
neficia, uideant haud omnino ingrato cuipiam contuliſ-
ſe, diſcantq; honorē artes alere, omneisq; incendi ad ſtu
dia; ſi qui uero aut maleuolentia, aut inuidia me, quan-
tuſcunq;

tuſcunque fuerim, proſequãtur, eos hoc paruulo ſane mu nere mihi deuinciam. Accipite igitur, Senatores optimi, ciuesq́; ſpectatiſsimi hoc quidquid eſt muneris, atque ea fronte recipite, qua ſoletis interdum nos ſuſcipere, & in tueri, nosq́ue ab inuidorum rabie uindicate. Quod ſi a doctioribus potiſsimum, qui certe plurimi ſunt in hac ci uitate, probari intellexerimus, breui fortaſſe alia, & me-hercule grauiora emittemus, uobisq́ue nuncupabimus. Valete igitur, meq́ue amate. ego enim ſummopere uos diligo, & obſeruo. Ex ædibus noſtris, Calen. Ianuar. M D LIIII.

AVCTORES, QVORVM FIT MENTIO IN HIS LIBRIS.

Externi Græci

Homerus
Democritus
Empedocles
Hippocrates
Polybus, Hyppocratis discipulus
Thessalus, Draco — Hyppocrat. filii
Pythagoras
Thucydides
Sophocles
Herodotus
Plato
Aristoteles
Theophrastus
Phormio peripateticus
Asclepiades
Archigenes
Dioscorides
Aretæus Cappadox
Ruffus Ephesius
Oribasius
Plutarchus
Pelops Gal. magister.
Galenus.
Alexander Trallianus
Aetius
Paulus Aegineta
Suidas
Actuarius

Externi Arabes

Razes
Serapion
Auicennas
Raby Moses
Zoar
Auerrohus
Alexandrinus expositor

D. Basilius
D. Hieronymus
D. Hilarius

Latini

Plautus
M. T. Cicero
Scribonius Largus
Cornelius Celsus
Seneca
Plinius
Cælius Aurelianus
Appuleius
Q. Serenus
Angelus Politianus
Gentilis Fulginas

Theodorus Gazes
Pontanus
Leonicenus
Iacobus Sadoletus
Ianus Cornarius
Ioannes Baptiſta Theodoſius Forocornel.
Ioannes Fernelius
Iulius Alexandrinus Tridẽtinus
Ioannes Baptiſta Sichicelius Bononienſis
Ioannes Baptiſta Flauius
Vincentius Thomaſinus Faneſtris
Victor Faneſtris
T. Gallus
Franciſcus Hunulph.
Gregorius Amianius

HIERONYMI GABVCINII, FANESTRIS MEDICI, AC PHILOSOPHI, DE COMITIALI MORBO, *AD IOANNEM BAPTISTAM FLAVIVM,* LIBRI TRES.

SAEPE & multum hoc mecum cogitaui, Flaui doctissime, boni ne an mali plus attulerit hominibus, qui artem medicam profitentur, dialecticæ facultas, ac summum rerum naturalium scientiæ studiū. nam & quum detrimenta cōsidero; quæ ex longa nimis opera laudandarum artium omnium procreatricis huius, ac quasi parentis philosophiæ proueniunt; & multorum hominum calamitates animo atque interitus colligo; non minimam uideo per istiusmodi homines inuectā esse partem incommodorum. cum autem res à nostra memoria ob uetustatem remotas ex literarum monumentis repetere instituo; multos homines ui medicæ disciplinæ, philosophiæ coniunctæ, pristinæ sanitati restitutos, plurimas ægritudines restinctas, firmissimas ualetudines, atque inde sanctissimas amicitias intelligo facillime cōparatas. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipsa in hanc potissimum sententiam ducit; ut existimem rem medicam sine dialectica atque philosophia parum prodesse mortalibus; easdem uero sine medicinali arte nimium obesse plerunque, prodesse nunquam. Quare si quis omissis rectissimis, atque honestissimis medicæ disciplinæ studiis consumit omnem operam in dialectica, atque philosophia; is inutilis sibi, perniciosus medicus alitur. qui uero ita se illis armat; ut non oppugnare medicinæ commoda, uerum pro his propugnare possit; is mihi uir sibi, patriæq́;, atque aliis utilissimus fore existimatur; atque is, qui Hippocrateus merito habeatur. Ac si uolumus huius erroris cōsiderare principium; reperie

mus id uel ſcientiarum neglectu, uel earum nimia cupiditate natum, indiesq́; auctum. Nam fuit quoddam tempus, quum nulli reperiebantur medici; & quiſque, prout ſors ferebat, aut ſeruabatur, aut moriebatur: deinde experientia quadam ducti nonnulli herbas, aliaq́; prompta in depellendis morbis nouerunt: adeo ut medicinam totam in uſu, & experimentis ponerent. Hi igitur quum ſibi experimentorum tãtummodo notitiam neceſſariam eſſe contenderent; cauſſas eorum obſcuras, qui fierent, effectuum omnino ignorantes, in maximum ægrotantes diſcrimen perducebant. Hæc alii intuentes, ita corporũ rerumq́; rationibus innitebantur; ut dum rerum cauſſas rimari cupiebant, interim æger è medio ui morbi tolleretur. Primo enim medendi facultas ſapientiæ pars habebatur: ut & morborum curatio, & rerum naturæ contemplatio ſub iiſdem authoribus nata ſit; ſcilicet his hanc maxime requirentibus qui corporum ſuorum robora in quieta cogitatione nocturnaq́; uigilia minuerant. ideoq́; multos ex ſapientiæ profeſſoribus peritos eius fuiſſe accepimus: clariſsimos uero ex his Pythagoram, & Empedoclem, & Democritum: ita propter inſcitiam, aut nimiam ſcientiarum auiditatem cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas medicina ipſa abutebatur. Quo tempore magnus uir ille & ſapiens (ut ſcis) Hippocrates Cous, primus quidem ex omnibus memoria dignus, uirq́; & arte & facũdia inſignis, cognouit quæ materia eſſet, & quanta ad tuendam ualetudinem, morbosq́; curandos oportunitas, ſiquis eam poſſet elicere, & præcipiendo meliorem reddere. Hic igitur primus ab ſtudio ſapientiæ diſciplinam hanc ſeparauit; duoq́; inueniendorum medicamentorum inſtrumenta poſuit, experientiam nempe & rationem: quibus una coniunctis facilius, quæ quibus morbis medicamẽta eſsẽt idonea, poſſet intelligi. ita igitur primo ſic & nata, & progreſſa longius medicina uidetur: & item poſtea in maximis morbis cum ſummis hominum utilitatibus eſſe uerſata. Poſtea uero quàm commoditas quædam praua uirtutis imitatrix

Celſus lib. primo.

tatrix sine ratione officii disciplinam medendi consecuta est; tũ ingenio freta malitia permultos Thessalios medicos, nempe imperitissimos aluit; qui uitas hominum temeritate quadam, peruersaq; audacia labefactare assueuerunt. Quorum quum quisque ad quemque morbũ profligandum sua inueniret remedia; quæ sæpe alii improbabant; multæ (ut fit) controuersiæ oriebantur; in quibus quum sæpe à mendacio contra uerum homines stare consuescerent; medendi assiduitas aluit audaciam: ut necessario sapientes quique medici propter iniurias, necesq; hominum resistere audacibus illis, & opitulari suis quisque necessariis cogerẽtur. itaq; quum in medendo sæpe par, nonnunquam etiam superior uisus esset is, qui omissa uera medendi ratione methodicũ sese tamen nominabat; quum esset re uera à methodo alienissimus; tanquam asinus ad Lyram; ne ad audiendam quidem eiusmodi speculationem esset idoneus; ne dum quod rectũ esset, ratione inueniret; fiebat, ut & multitudinis & suo iudicio dignus, qui medendi disciplinam exerceret, uideretur. Hinc nimirum non iniuria quũ ad medendi prouinciã temerarii atque audaces homines accesserãt, maxima, ac miserrima naufragia fiebãt: proptereaq; quum morbi, quos curandos susceperant, nullam curationem admitterent; eorum caussas ad iram Deorum immortalium referre, & ab iisdem opem deposcere cogebantur. Quibus rebus tantum odii, atque inuidiæ suscepit ratio ipsa medendi; ut olim quotquot aderant, medici ex urbe expulsi fuerint: ingeniosissimiq; propterea homines quasi ex turbida tempestate in portum, sic ex seditiosa & tumultuosa medicina se in studiũ aliquod traderent quietum. hoc uero à plerisque eorum desertũ obsoleuisse eo tempore uidetur; quo multo uehementius erat retinendum, & studiosius adaugendum. nam quo indignius rem honestissimam, & sanctissimam uiolabat stultorũ & improborum temeritas, & audacia summo cum hominum discrimine; eo studiosius & illis resistendum fuit; et ægrotantibus consulendum. quod Galenum non fugit, neque

Galenus in lib. de articulis cõmentario 3. commento 27.

Aretæum Cappadocem, neque horum (ut uere dicam) diſcipulos Paulum Aeginetam, & Aetium, neque alios permultos; quibus in hominibus erat ſumma uirtus, & ſumma uirtute amplificata authoritas. cum quibus ego libenter ſentire ſoleo. quòd eorum me non authoritate ſolum, quæ ſumma eſt, uerum etiam rationibus, atque exemplis ita tueri poſsim, ut nullam præterea cuiuſquã reprehenſionẽ extimeſcam. Quare meo quidem animo nihilominus medicinæ ſtudendum eſt: etſi ea quidam pri uatim, & publice peruerſe abutuntur: ſed eo uehementius, ne mali magno cum detrimento bonorũ, & cõmuni omnium pernicie plurimum poſsint: quum præſertim hoc unum ſit, quod ad omneis omnium hominum ſexus, ætates, tempora maxime pertineat: hoc tuta, hoc honeſta, hoc illuſtris, hoc eodem uita iũcunda fiat. nam hinc plurima ad ciuitates, oppida, caſtella, uillasq; commoda ueniunt: hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honor, dignitas confluit. Sed quorſum hæc tã multa? ut oſtenderem nullum plane morbum ſacrum eſſe; nullumq; præcãtationibus auferri poſſe; pro quo abigendo imperitiſsimi quidã, planeq; impudentiſsimi, quũ nihil aliud haberent, ſæpe illis uti uidentur: medicinæq; diſciplinam philoſophiæ coniũctã omneis fere morbos curare; modo de ſalute non deſperarint, qui eos patiuntur ægrotantes; & medicum nacti fuerint, qui inſita quadam mẽtis acie, qua rerum omnium uim naturamq; uiderit, experientia quoque comprobarit. hic enim inuictos fere morbos euincere; ſin id minus, ſaltem edomare, mitioresq; reddere poterit. Quos inter quum ſuperioribus annis comitialis morbus curandus mihi ſuſciperetur; (is enim curatu longe difficillimus erat in homine, qui uigeſimum quintum annum iam prægreſſus fuerat;) huius diſciplinæ ope depulſus eſt: quum non defuiſſent, qui omnino curari eum non poſſe dicerẽt: alii qui eius cauſſam in Deos refunderent; abigiq; propterea haudquaquã poſſe affirmarent, niſi præſtigiis quibuſdam, præcantationibusque uterentur. alii contra eſſent, qui mira quædam huic malo

remedia

remedia idonea sese habere prædicarent; quum alioqui imperitissimi haberentur, & essent; adeoq; propterea impudentes audacesq; fierent; ut omnia audētes nō mediocri hominum essent detrimento. Hæc igitur omnia quum non semel mecum cogitarem, diuq; animo uoluerem; si forte quod iam non natura modo atque exercitatione, uerum etiam artificio quodam comparaui, id omne ad comitiale malum curādum coniicerem, atque ita eos, qui aliter sentiunt, ab eorum sententia pro uirili dimouerem, & ad ueritatem reuocarem: hæc, qualiacunque fuerint, in commentarium quoddam redegi. Sed mihi quum de comitiali morbo uellem aliquid scribere; tu occurrebas dignus eo munere; quo uterque nostrū communiter certior fieret medicæ disciplinæ maiorem adhibendā esse fidem, quàm quæ à multis adhibetur. ea enim quum difficillimos quosque morbos tum edomet, tum depellat; si non semper comitialē, non tamen raro ipsum euincere certo scimus. Nunquam igitur satis digne laudari poterit medicina philosophiæ coniuncta; cui qui pareat, omne tempus ætatis sine molestia possit traducere. Hunc igitur librū de comitiali morbo ad te misimus; in quo æquabili & temperato orationis genere usi sumus: & propterea in eo quietum disputandi genus perspicies. sequimur enim in eo tum medicos, tum etiam peripateticos; non ut interpretes, sed ut solemus, e fontibus eorum iudicio, arbitrioq; nostro quantum, quoque modo uidebitur, hauriemus. Placet igitur, (quoniam omnis disputatio de comitiali morbo futura est;) ante definire quid sit comitialis morbus; si prius, quod sit; quotque modis dicatur, demonstrabitur. Quamquàm enim uereor ne nimius in hoc genere uidear, tamen omnes ueteres philosophi medicique maxime nostri ad incunabula accedūt. Comitialis igitur morbus is dicitur; quòd qui ab illo corriperētur, in comitiis potissimum deprehendi solebant: comitiaque, quo die quis prolapsus esset, interrumpebantur. Hinc comitiales homines, qui eodem capiuntur; & comitialiter aduerbium: ita enim

Vide Galenū primo metho. med. c. 5.

 apud

Lib. naturali hist. 20. c. 5. & lib. 21. c. 40.

Sect. problematum 10. probl. 49.

apud Aristotelem, Pliniumque legere persæpe solemus. Hunc græci, in primisque Aristoteles ipse ἐπιληψίαν uocarunt, quasi comprehensionem, aut detentionem, siue obturationem; quòd uidelicet ægroti rerum obliuiscantur, & sensus eorum detineantur: neque enim audire, aut uidere, aut intelligere prorsus, aut meminisse alicuius possunt; sed omni destituti sensu iacent mortuis non dissimiles. propterea qui huiusmodi morbo capiuntur; ἐπιλήπτικοι. i. epileptici nuncupantur; unde ἐπιληπτίζω comitiali morbo laboro Plutarchus dixit. Hippocratis præterea tẽpestate ἐπιληψία ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνεσθαι dicebatur; idest à correptione: ita enim stolidi medici ueteres fuere; ut crederent ἐπιλήπτους ab aliquo Dæmone corripi; qua postmodum correptione quaterentur. Hunc & alio nomine ἱερὸν νόσον uocabant: quòd non humana ope tolli posset, sed diuina: aduersus quos multa in cõmentario de sacro morbo scripsit Hippocrates; multaq; eorum figmenta, fabulasque aniles deridebat; quæ sane nunc referre sub puduit. Sunt qui sacrum alia ratione dictum uelint; nimirum quod cerebrum, in quo uitium sit, sacrum, templumque sit multorum philosophorum iudicio partis animæ in corpore natæ; siue quòd sacram contaminet animam; aut quòd, qui eum passus est, subito cõcidit, ob magnitudinem nimirum affectionis: siquidem Græcia sacrum pro magno usurpat: ut quum sacrum os dicit; sacrum mare, sacram domum; uel ut Tragicus poeta, sacram noctem, hoc est magnam: & nautæ qui sacram anchoram appellant; nempe maximam, ac ualidissimam; quam tum mittunt, quum extrema laborant discrimine. Sunt qui sacrum. i. execrabilem dictum putant: quod cũ, qui illo laborat, ueluti dira quadam peste infectum detestantur. Neque sane mirum; quando & benevalentibus tanquam scelesti, & abominabiles non solum stomacho comitiales sint, sed & timori. unde Plinius ait hunc morbum despui suetum; perinde ac si contagione ipsos esset inuasurus. Hinc Plauto sacerrimus homo, scelestissimus dicitur. Maiorem hunc Celsus propter grauitatem

Lib. nat. hist. 10. c. 23.

Lib. 3. c. 23.

quare sacrus

Alia τὸ quare sacrus

tatem nuncupat, usus uoce latina. Herculeus item dicitur; nimirum quòd Herculi familiaris fuerit, aiuntq; uel propter immensos labores, uel immittente Iunone in hunc incidisse: uel quòd, ut ille inuictus, ita hic nulla medicorum ope superatur; potissimum ubi ætatē adeptus fuerit: elephantiasis exemplo; quo quum nullus fere maior sit, atque ualentior; Herculeus itidem morbus nuncupatur Aretæo authore. etsi Aristoteles quem sequi Galenus uisus est, non herculeum, quod ipso Hercules laborauit; sed sacrum potius ab eo dictum scribit; nempe magnum atque inuictum, Herculis exemplo; qui ut inuictus erat; ita morbus uinci nequiret: uel ut alii sentiunt; dictum ab Hercule sacrum; quia Hercules inter sacra numina, deosque colebatur. Vnde Theodori Gazæ erratū emanauit, qui Herculeum ab Hercule dictum ab Aristotele morbum fuisse uoluit: quum ne uerbum quidem Aristoteles dixerit; sed de suo Theodorus addiderit. ita .n. græce ait Aristoteles. οἷον λέγεται τῶν τε ἡρωϊκῶν τὰ περὶ τὸν ἡρακλέα. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔοικε γενέσθαι ταύτης τῆς φύσεως: διὸ καὶ τὰ ἀρρωστήματα τῶν ἐπιληπτικῶν, ἀπ' ἐκείνου προσηγόρευον οἱ ἀρχαῖοι ἱερὰν νάσον. i. ueluti inter Heroas de Hercule fertur: ille etenim eius fuit naturæ: unde & morbum comitialem ab illo, sacrum prisci morbum appellarunt. Sunt qui Diuinum appellant; quòd diuinam animæ partem discruciat. Lunaticus quoque quibusdam dicitur; quod eum, qui interlunio natus est; hoc malum fere pati compertum sit: aut quod qui cadunt plenilunio, periculosius eodem capiantur; ueluti Aristoteles memoriæ prodidit: aut quòd flagitiosis hominibus à Luna immittatur. παιδίον denique νόσημα uocant; quòd illorum quousque ad pubertatem accedant; peculiaris, tantæque familiaritatis existit; ut propter hanc caussam non nisi post septimum diē pueris olim nomina imponerentur; quos plurimum ante hunc interire Aristoteles tradit; tanquam saluti iam puerorum magis credamus: quum alioqui conuulsione per morbum comitialem plurimum exciperentur; & præcipue corpulentiores, & lacte uescentes copiosio-

Herculeus morbus

Sect. proble- matum 3. probl. 1. sexto epidem. Sect. 6. apho. ultimo.

Theodori Gazæ erratū

Lib. 7. de naturalium c. ultimo.

Ibidem.

re & crasſiore: ueluti tertio libro dicetur. Huius etiam puerorum comitialis conuulſionis Hippocrates in commentario de aere, aquis, & locis meminit; dum conuulſiones ait infantibus euenire, ſuſpiriaque; quæ arbitrantur puerilem efficere, & morbū eſſe. in qua oratione plane patet illi uerbo puerilem ſubaudiēdum eſſe affectum; ut talis ſit eius ſermo; quem puerilem arbitrantur affectum efficere; atque ſacrum morbum eſſe. Caducum etiam morbum Marcellus medicus uocat. hæc autem labes uulgo puerorum mater appellatur; quā Q. Serenus ita deſcribit.

„ Et ſubiti ſpecies morbi, cui nomen ab illo eſt,
„ Quod fieri nobis ſuffragia iuſta recuſet.
„ Sæpe etenim membris atro langore caducis
„ Conſilium populi labes horrenda diremit.
„ Ipſe deus memorat dubiæ per tempora Lunæ.
„ Conceptum, talis quem ſæpe ruina profudit.

Principio igitur quærendum eſt, quid ſit comitialis affectio: nimirum an ſit morbus, an potius caſus. quum .n. præter naturā πάθος ſit; alterutrū eſſe neceſſe eſt; id quod ex eius, quæ in ipſa affectione conſpiciuntur, notis facile deprehendi poteſt: ſiquidem qui hoc ſymptomate capiuntur, in terram prolabuntur, quatiuntur, motuq; ac ſenſu deſtituuntur: quæ omnia caſum potius, quàm morbum eſſe demonſtrant: ueluti poſtea declarabitur. Comitialis igitur affectio ſymptomatis nomen potius, quàm morbi exiſtit: ſi quando tamen comitialem morbum dici deprehendes; morbum ὑπὲρ τοῦ πάθεος, nempe pro affectione, quæ ſymptoma etiam ſignificat, dictum eſſe exiſtimato. ſat eſt Hippocratē, Galenumq; ſymptoma eſſe uoluiſſe: ſub quo ſignificato methodum etiam hanc curatricem trademus. Eſt igitur comitialis morbus affectus principes cerebri functiones, ratiocinatricem nempe, atque memoratricem, ſenſusque oblædens cum uniuerſi corporis conuulſione, ideſt neruorum ac muſculorum ad ſuam originem inuita retractione, non perpetua, uerum temporaria: ita enim paſsim illum Galenus

lenus describit. Quòd autem cerebri facultates omnes lædantur; ex iis, qui in inuasione, & post eam spectantur, casibus liquido constat. cuiusce rei caussa est cerebri sinuum noxa, nempe obstructio; in quibus animales tum facultates tum spiritus consistunt; quibus facultates eædem, ueluti instrumentis quibusdam propriis deprauate utuntur. neque enim ab obstructis illis uis ulla ad cæteras corporis parteis transfundi potest: quo fit ut comitialis homo sensuque & motione à uoluntatis imperio prodeunte necessario priuetur; unde statim prolabitur. Quòd sensu quouis etiam priuetur externo, nimirũ & interno, experientia cõprobatur: quãdo neque uidet, neq; audit, neq; ullo sensu quidquã percipit, ac ne cõsequi quidem potest quid factum sit, siquidem cum memoriæ uiribus ratio quoque oblæditur. peracta & enim inuasione nihil omnino aut ratiocinatur, aut imaginatur; atque ueluti statua marmorea nihil eorum, quæ in ipsa inuasione peracta sunt, memoratur. Quoniam uero facultates istæ non eodem perpetuo modo noxam percipiunt, sed diminute plerunque suas obeunt actiones, corrupte nonunquam, interdum omnino auferuntur, non omnes eodem modo lædi constat: siquidem motricis munus facultatis corrupte obitur; quando motus eius inuoluntarius ac præter naturæ imperium, & dum fieri non debet, absoluitur. sensilis uero munus non corrumpitur modo, sed & aufertur: nihil enim statim post inuasionem comitialis animãs sentit. motricis igitur munus facultatis corrumpitur, sensilis omnino aufertur: uniuersum præterea corpus conuellitur, dum nerui, musculique ad suam originem, nempe cerebrum, retrahuntur: ut, quod noxium in cerebri finibus continetur, natura expellat. est enim inuoluntarius naturæ motus a caussa præter naturã factus; ueluti in ipsa iuuasione quotidie fieri experimur. uidistine unquam comitialem accessionem sine partium uniuersi corporis neruorumque ac musculorum contractione fieri? hac nimirum musculorum ligamenta, fibræque a neruis orta, neruiq; a spinali medulla, atque ea a cere-

bro, si quando æqualiter retrahuntur; neruorum princi-
pii id genus contractiones esse dicamus: quando eius motum nerui omnes consequuntur. Ea autem ratione neruorum ad suam originem inuita contractio temporaria, nō perpetua existit, propterea quòd cerebri motus pro uoluntatis imperio dirigitur, fitque à natura ui quadam irritata, ut excutiat quod noxii in eius sinibus continetur. Dices fortasse, etsi locus huius symptomatis cerebrū esse certo sciamus: neque enim aliter casus esset corporis uniuersi, si principium non pateretur cerebrum nimirum: nihilominus tamen, quum plures cerebri partes habeantur, in quanam potissimum fiat, tibi perscrutandum est. aut enim in cerebri medulla membranisue, aut uasis, aut potius in eius sinibus fiet. illam autem sinus tantum esse ex eo deprehendi potest, quòd quum repente fiat comitialis casus, statimq; dissoluatur, in eius laxiore, ampliore, paratioreq; parte fieri perspicuū est. nulla autem latior eius habetur pars, quæ & excrementa recipere, atque excutere ualeat, quàm sinus ipsi. in his igitur comitiale malū fiet: ueluti tertio de locis affectis Galenus clarissime demōstrauit, inferiusq; clarius ostendetur. Sunt qui ea ratione ducti, quòd is affectus difficillime euincitur, imò insuperabilis fere existit, ob iram quandam diuinam hominibus immitti contendunt, malumque hoc, ueluti & alia permulta, ad Deorum irā fuisse relatum, & ab eisdem opē deposci solitam, uerisimile esse inter non nulla auxilia aduersæ ualetudinis plerisque tum eam secundum contigisse ob bonos mores, quos neque desidia, neque luxus uitiarant: Homerumq; uetustissimum citant authorem, qui pestē Græciæ exercitum inuasisse ob Apollinis iram cecinit: idemque & de Hercule aiunt, qui ob irā Iunonis nouercæ herculeo ab ipso nuncupato morbo ipsa ita permittente correptus fuit, Hippocratemque ab eodem accepisse ferunt, dum in prædictionibus, in hanc plane sententiam tradidit:

Iliad. A.

Libr. primo. c. 7.

» Et si quid in morbis diuinum habetur, illius quoque e-
» discere prouidentiam oportet. quod tamen ita falsum

est,

eſt, ut nullo ſuo libro Hippocrates cauſſam ægrotationis in Deos refundat. quando Galenus nil aliud Hippocratem per Diuinum uoluiſſe ait, quàm aeris nos ambientis conditionem: cuius tum in aphoriſmis, tum in libro de aere, aquis, & locis, tum de morbis uulgaribus abunde meminit. ea enim omnia prædictiones eorum ſunt, quæ nos ob circumflui aeris cauſsã infeſtant. Quin & in commẽtario de ſacro morbo multa quoque ab eo ſunt ſcripta ad eorum obſtirpandam ſuſpitionem, qui Deum morbos immittere contendunt. Non igitur comitialem putandum eſt diuinum haberi morbum, ueluti neque aliorum quenquam: quum ſi cæteris diuinior eſſet, omnibus eadem pacto morbum fieri, neque diſcrimen biliosos inter atque pituitoſos temperamento homines fieri oporteret; quemadmodum neceſſario facimus: pituitoſis enim natura oboritur, bilioſis uero nõ accidit. Comitialis igitur hic affectus ex iiſdem cauſsis oritur, quibus & cæteri, ab accedentibus nimirum ac decedentibus, ueluti frigore, ſole, uentis, & quæ ab his trãſmutantur, & nunquam quieſcunt. Hæc autem diuina ſunt Hippocrati. Quamobrem nequaquam hunc affectum ab aliis ſeiungere, neque cæteris diuiniorem putare, ſed omnes hoc pacto diuinos, omneisque humanos exiſtimare oportet. Hominum enim inexperientia & admiratio effecit, ut huius affectus naturã, & cauſſam diuinã eſſe exiſtimarint: quũ enim nulla fere re cæteris morbis ſimilis ſit, eius tum naturam, tum cauſſam haudquaquam cognoſcẽtes, diuinitatem ipſi adſcripſerunt. Sed præſtat, hiſtoriam hoc loco non indignam ſane, quam re cenſeamus, ſubſcribere, ex Cœlio Rhodigino excerptã, in qua fictam hanc diuinitatem facile poſsis agnoſcere, ſiquidem Magmed, ſeu Maumeth dicatur is, qui magnã orientis partem religione pernitioſa implicuit, uti proditum eſt, huic erat affectioni obnoxius. id cum animaduertiſſet uxor, & eo nomine plurimum indignaretur, ac rogaret ſubinde quid eſſet in re, Deſine, inquit, mirari: morbus abeſt: ſed cum aduentantis numinis uim pa-

Libr. 3.

ti nequeam, mente collabor, ac stupent membra. Communis est hæc prophetarum affectio: quorum me esse unum scias uelim. Hac fraude mulier delinita, quòd odisse cœperat aduentus atrocitate, commenti uersutia, ut diuinum suspicere uirũ coacta est. quæ illuc denique prorupit fraus, ut moriẽs illum ex asse heredem instituisset. quæ res potentiæ, quam mox indeptus est amplissimam, exordia præbuisse narratur. nulla igitur ratione ceteris diuinior est, atqui nec ipse diuinus: nisi ob eam forsitasse rationem diuinus dici cœptus fuerit, quòd diuinã animæ partem, nẽpe ratiocinatricem uiolet, quemadmodum Apuleius in prima defensione dictum eum fuisse existimauit. Quemadmodum enim sternutamentum sacrum dictum est, quòd e capite membrorum præcipue omnium diuino, unde cogitatio est, suum ducit principium: ita & hunc sacrum, diuinumque dici par est. usque adeo enim affines sunt affectiones, ut comitialis ingens sternutamentum, ipsumq; leuis comitialis existimetur, Aristotele authore. Nunc quoniam quibus nominibus uocaretur, & quid esset, dictum est, reliquum est, ut ostẽdatur quæ, & quot eius differentiæ habeantur. Comitialis igitur morbi duo prima sunt genera: aut enim uitium hoc fit capite persese laborante, aut aliunde uenit: si aliunde, aut quum caput lege quadam consortii a uentriculo oblæditur, aut quum a parte aliqua, cui id forte fortuna accidit, uitium incipit: quod deinde eo ascensu cerebrum petit, ut illud iam consurgens ægrotus plane sentiat. quibus omnibus illud commune inest, quod cerebrum uel primario affectu, uel alterius partis cõsortio afficitur, melancholiæ exemplo: hæc enim uel ipsomet affecto, uel aliis consentiente cerebro fieri solet. utraq; namque passio bifariam in lædendo cerebro sese inuicẽ imitatur: hæc enim nigro, illa uero subalbido, pituitoso inquam crassoque, aut etiam nigro humore in ipso loco existẽte, aut potius generato; uel simili in uniuerso corpore redundante, qualis potissimum in cerebro continetur, arcem cerebri conuellunt. Affectus uero cerebri per aliarum

Sect. proble. 33. probl. 5. & 9.

sternutamentum sacrũ

Comitialis morbi duo prima genera

aliarum partium consortium in melancholia, alteram tantum differentiam ponit Galenus, qui stomacho consentiente fieri solet, & quem flatulentum, & a præcordiis hypochondriacum appellat, ob inflammata circa stomachum præcordia prouenientem, quæ modo auram quandam maligniorem, modo substantiæ humoris partem ad cerebrum sursum transmittant. In comitiali uero morbo duos posuit modos, alterum ex stomachi, ex alterius alterum partis consortio, in qua affectus incipit suborientem: uaporibus deinde in ea parte, uel propinquis ad cerebrum adeo clam consurgentibus, ut eos dum se attollunt, ægrotus non minus animo intelligat, quàm corpore sentiat: atque hunc modum raro fieri: illum uero, qui ipsomet per sese affecto cerebro fieri dictus est, plurimis obuenisse memoriæ prodidit. Eius uero, qui stomachi uitio fit, quatuor caussæ numerãtur: quibus omnibus una ingruẽtibus maximum inde affectum oriri necesse est. nempe si stomachi affectus ualidus fuerit, si stomachus ipse sit exacto, delicatioreq; sensu; si cerebrum, neruiq;, si cor, & quæ ab eo arteriæ imbecilla fuerint. ita enim propter stomachum comitialis conuulsio fieri potest, consentiente principio tum in cerebro tum in neruis. Hic uero affectus per id exemplum ostenditur, quod grammatici cuiusdam a Galeno proponitur. hic .n. quoties uel nimis uehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur; comitialiter conuellebatur, nempe stomachi uitio, ut qui sensu maximo præditus esset, ac deinde consortii quadam lege & totũ cerebrum, & corpus uniuersum conuulsione concutiebatur. alios quoque conuulsione per morbum comitialem stomachi uitio correptos, uidisse ait: quum aut probe non concoxissent, crudiq; fuissent, aut uini & quidem meracioris plurimũ ebibissent, aut ubi uenereis immodice operã dedissent. Has igitur fortasse ob caussas correptum bis hoc morbo fuisse in rebus agendis C. Iulium Cæsarem, frequentiq; capitis dolore uexatum tradunt: nimirum quòd cerebrum consortii lege a stomacho afficie-

Lib. 3. de locis affectis c. 5.

Libro 1. de caussis symptom. c. 7.

Lib. 5. de locis affectis c. 5.

Sueton. Trãquillus, Plutarchus in uita Cæsaris.

Lib. de genitura Democritus etiã idẽ dixit. Vide 3. epidem comment. t. c.4. in fine.

ciebatur, ob uehementeis animi curas, quibus maxime detinebatur: aut si mauis ob rei ueneree nimium usum, cuius appetens fuisse maxime fertur: legisti ne quãdoque apud Hippocratẽ ex Democrito τὴν συνουσίαν εἶναι μικρὰν ἐπιληψίαν ut mirari desinas C. Iuliũ Cæsarẽ Dictatorẽ rerũq; potitum illud infortunii ob eas, quas modo habui, rationes fuisse perpessum, ob quas etiam, & alias permultas magnos & ingenio & rerum gestarum gloria excellentes uiros eodem laborasse. Hoc autem morbo Cordubæ primum, ut fertur, correptus non mollitiei occasionem ex ipsa fecit ægritudine, sed ex militia ægritudini remedium comparauit. Indomitis nanque uiarum difficultatibus, uictus parcitate, assiduis uigiliis, & durissimis laboribus aduersus morbum dimicans inuictum ac insuperabile tutatus est corpus. His proxime diebus adolescens quidam quotidiana febre correptus, mihiq; curandus oblatus, quum magnam crudi humoris copiam una cum oris uentriculi, quod stomachum proprie uocant, offensa, uel excruditatibus, uel alia quapiam occasione congessisset, inter accessionis initia syncope capiebatur: succedente uero tempore in comitialeis conuulsiones prolabebatur: inter quas & ceruix ad dorsum trahebatur, oculi distorquebantur, osq; in latus contrahebatur, rigoreq; corripiebatur, spuma circa os effluente, qua peracta accessione & syncope deficiebat. Quæ uero sint eæ corporis partes, a quibus cõsortii lege morbus hic producitur, Galenus refert, dum se puerum uidisse commemorat, qui comitiali conuulsione ex cruris consortio laborabat. audierat enim ex puero narrante affectum a crure initium sumere, mox illinc recta ascendere per fæmur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret: quod quũ primum tangeret, ipsum haudquaquam sibi constare: qui interrogantibus medicis, quibus cum ad rectam ipsius curationem uestigandam Galenus conuenisset, qualei d esset quod ferebatur ad caput, nihil habuit, quod respon deret: hic autem annum ætatis suæ decimum tertium agebat

Plutarchus in uita Cæsaris.

Lib. de locis affectis.

gebat. Alium præterea uidisse adolescentem refert mentis compotem, qui satis poterat & sentire quod fiebat, & alteri enarrare, eodem morbo laborantem: hic autem dicebat, ueluti auram quandam frigidam esse id, quod ascendebat. Quid quòd Alexander Trallianus idem propemodum uidisse refert? Sed placet exemplum quoddã referre, quod ipse uidi. Magdalenæ, quæ apud ædes Diui Marci habitabat, uirgini ætatis suæ annum agenti uigesimum quartum, pes palpitare ex pollice dextro uehementer cœpit: hæc autem palpitatio illinc recta ascendebat, uti referebat, per crus, færmur, lumbosq; illi imminenteis, ac ceruicem, donec ad caput perueniret, quo primum contacto desipere uidebatur: postea statim conuulsione correpta concidebat, spuma ad os facta: hæc autẽ ita crebro illi obueniebant, ut tandem moreretur. Hippocrates autem libro morborum uulgariũ secundo. Timonectis inquit filio fere bimestri pustulæ in cruribus, & coxis & lumbis, ac imo uentre, & tumores ualde rubicũdi. his autem sedatis conuulsiones & comitiales fiebant sine febribus multis diebus &, mortuus est. Paulus uero tum a cruris, tum manus digitis contagionem nasci posse dicebat. Insuper uisus est (inquit) quandoque prouenire id genus uitii in quadam muliere ab utero; quo tempore utero gestaret, quod a partu edito cessauit. illud ipsum Auicennas matricis præfocationem appellat, simileq; comitialibus esse, quum tamen alibi comitialis speciem morbi esse uelit: quæ res facit, ut sibi inconstans in scribendo uideatur: quum tamen sibi optime constet. comitialis enim mali species ab affecto utero lege consortii, & uuluæ strangulatus esse diuersa sane ratione dici potest: qua enim cerebrum afficitur, comitialis morbi genus (ea enim ratione dicitur uuluæ strangulatus, quod idem uitium affectum uterum consequitur, quod & in comitiali conuulsione solemus intueri.) quæ uero in utero materia continetur, eiusdem affectus, eius nimirum] strangulatus nuncupatur. primo igitur loco ea ratione comitialis morbi genus esse dixit, quod consortii Lib. 1. c. 15.

quadam lege ab eodem cerebrum afficitur: quum halituosi spiritus ab eodem ad cerebrum sublati idem ita inficiunt, ut comitialium casuum congeries sequatur. altero uero, ut qui proprius erat locus uteri morbos recensendi, uteri strangulatum comitiali tamen morbo persimilem esse, non autem comitialis morbi genus dicit. dum enim secundo loco præfocationis ut uocat, matricis, duas esse species ait, quarum alteram morbum officialem, materialem alteram nuncupat: secundam comitiali accessioni persimilem esse ostendit per hæc uerba. Et secũda est ægritudo materialis cũ eo, quod facit procedere materiam retentam ad duo membra principalia, ex uapore malo uenenoso: quare accidit res, sicut epilepsia, & syncopis. Qua igitur morbus est, ut inquit, officialis .i. qua uterus conuellitur uuluæ proprie strangulatum, qna uero materialis est morbus, idest qua facit procedere uapores uenenatos ad cerebrum, comitiale malum dici contendit. Paulus uero comitialibus similem esse uteri suffocationem uoluit, nimirum quia iuxta circuitum, ueluti comitialis, mouetur. Genus igitur comitialis morbi uteri strangulatum, & proprium morbum esse hoc modo existimandum. Similem profecto comitiali affectum hunc fecit Hippocrates libro de morbis muliebribus inscripto, dum uteri strangulatus caussas, & casus referens, Quædam, inquit, etiam dẽtibus frendunt, & saliuæ ad os fluunt, & similes sunt his, qui ab herculeo morbo detinentur. iisdem propemodũ casibus ex uteri strangulatu prouenientibus affectam mulierem noui, quæ ita frequenter in comitialeis conuulsiones, syncopamq; prolabebatur, ut persæpe ueluti mortua deploraretur: hoc autem quum plures annos id genus uitio laboraret, nulloq; adhibito medicamento depelleretur, excreto tandem e uulua nigro quodam humore, & crasso præter omnium sententiam incolumis euasit. Ex coli etiam dolore comitiales affectiones fieri posse Paulus uoluit, dum ait: Puto autem colicum affectum, qui etiam incrudescit, ex huiusmodi contrahi humoribus: ut qui ab Italiæ

regionibus inceperit, in aliis autẽ multis Romanæ Reip. locis peſtiferæ cuiuſdam luis contagio ſimul graſſetur. quamobrem in morbum comitialem, aliis in artuum reſolutionem ſenſu incolumi, non nullis in utraque tranſiit, ac eorum, qui in comitialem morbum inciderunt, plures interiere: ex illis uero, qui in paralyſim, non pauci euaſerunt, tanquam cauſſa, quæ ipſum tantauerit, per criſim finita. hunc ſequutus eſt Auicennas, qui omnia ex Paulo deſumpſit. Ex inteſtinis præterea comitiales caſus ob Lumbricos ea occupanteis fieri & Paulus, & Auicennas, & ipſe etiã non ſemel obſeruaui, ſcripſiq́. in quodam libello, qui me imprudente, & inuito excidit, & peruenit in manus hominum. Poteſt & a liene, præcordiisq́; illud mali genus fieri, quod & Auicennas oſtendit, & ſtatim etiam explicabitur. Sed, quod mirandum magis uidetur, a uertebris ſpinæ, & ab humerali oſſe comitiales interdum conuulſiones factas fuiſſe, & a toto demũ corpore idem author teſtatur, quod quomodo fiat, ex eo patet, quod Galenum ſemper fere ſequi author ille uiſus eſt: in arte autem medicinali ita ſcriptum reliquit. *Lib.4.c.57.* *ib.3.t.5.c.2.* *ib.3.t.5.c.8.* *cap 50.*

ὅλον δὲ τοῦ σώματος ἡ ἕξις ἐπ᾽ ἐκείνων λέγεται μάλιστα τῶν μορίων, ὅσα θεωμένοις ὑποπίπτει. μῦες δὲ εἰσιν αὐτοὶ πᾶσι τοῖς ὀστοῖς περιβεβλημένοι.

i. Totius uero corporis habitudo in illis maxime dicitur partibus, quæ primæ oculis ſubiiciuntur: ſunt uero hæc, muſculi, qui omnia ambiunt oſſa. Hæc autem Auicennas exponere dum uoluit, Illud autem, inquit, quòd nocet cum uapore malæ ſubſtantiæ, & qualitatis, eſt in toto corpore etiam, ita ut ſit in digito pedis, & manus. per quæ uerba non a ſtomacho tãtum, uiſceribusq́; aut internis corporis partibus uapores prauos caput petere, uerum etiam ex partibus externis, in quibus totius corporis habitus deprehenditur. a toto igitur corpore corruptos uapores caput officiẽtes comitialis morbi cauſſam eſſe de partibus extrinſecis, muſculis nimirum toti corpori adiacentibus intelligendum eſt: etſi Gentilis ille Fulginas uir, acerrimi iudicii, aliam eius loci expoſitionem afferat: fit etiam plærunque, (uti Aſclepiadi pla- *p.37.n.5.c.8. cõmẽ.34.*

cuit,) percussu, atque diuisura membranarum, quæ cerebrum regunt, aut nimio timore. Sed quæres fortasse, & mehercule non inepte: (quum comitialis affectus symptoma sit, atque symptoma omne morbum consequatur, ut propterea ἐπιγγυνέμα, i. morbum succedens dictum etiam fuerit,) an eodem perpetuo in loco, quem morbus occupat, reperiatur, an potius alium morbus, symptoma alium inuadat locum: siquidem duorum alterum sequi necesse sit, ut si eadẽ corporis parte, in qua morbus residet, symptoma etiam fiat, falsa sit Galeni diuisio in treis illas comitialis huius mali differentias. nam tertia illa quæ consortii quadam lege ab aliqua corporis parte fieri dicitur, omnino auferetur, in qua morbus aut in pedis pollice, aut crure, aut aliubi esse creditur: quum tamen symptoma in cerebro fieri uideamus: aut si non eodem penitus corporis loco & morbus & symptoma insideant, falsum erit, quòd huius symptomatis morbus sit semper cerebri sinuum obstructio. An quod utrũque uerum est, nempe & quod morbus, & symptoma eundem locum occupant, & Galeni de comitiali morbo in treis illas differentias, aut species diuisio optima est? Nam quocunque modo siue primogenio in capite, siue consentiente stomacho, aut alia quauis corporis parte contagionem impertiente fiat, quum ueluti quædam aura frigida cerebrum petat, has omneis differentias obstructio semper cerebri consequitur. Quo autem modo illas omneis comitetur, ea ratione deprehendi potest, quod obstructionis quum plures habeãtur caussæ, huius, qua de agimus, duæ esse existimantur: altera quum crassi lentiq; tum humores, tum uapores cerebri sinus obstruunt: quorum primi eius obstructionis sunt caussa, quam comitialis casus primario cerebri affectu consequitur: uapores uero eam, quæ stomacho consentiente fit, constituunt, ueluti in oculorum suffusionibus est uidere. altera uero quum cerebri sinus coalescunt, et contrahuntur, ob læsionem nimirum, quam uicinæ partes contagẽ ipsis impertientes inferunt, ut scilicet contagem

tagem illam a sese depellant: ueluti in uera conuulsione a quapiam re nocente facta quotidie apparet, in qua ligamenta tendinesq; ab acri quapiam qualitate læsi coarctantur, & retrahuntur. hanc igitur etiam differentiam obstructio pariet: etsi enim qualitas noxia, aut contages quæpiam latens, aut manifesta fuerit, quæ cerebrum afficiat, semper eius sinus coarctabuntur, retrahenturq;, ut a seipsis expellant, quod noxium est, semperq; hoc modo obstrui dicentur. ex quorum demum constrictione cerebrũ calidius fiet, eiusq; facultates, atque in primis expultrix unitæ qualitatem noxiam illam, quæ semper frigidior est, ualidius expellunt, atque discutiunt. indicio sunt eius inuasiones, quæ quum a noxia illa, cõtagiosaq; qualitate irritante fiant, eas non nisi per longa fieri interualla & Galenus & experientia uoluere. unde & Auicennas fere ulla absque conuulsione fieri, quibus & quietem magis conuenire, quàm motum, reliquit scriptum. Ac de comitialis morbi differentiis quidem satis dictum uidetur, deinceps ad eius caussas uestigandas transeamus.
Multiplex igitur morbi huius caussarum genus existit, externarum & internarum: harum uero duæ primæ habẽtur, effectrices nimirum, & præparantes. effectricum itidem duæ numerantur, altera quæ primogenio in capite fieri solet, altera, quæ lege quadam consortii, uel a stomacho, uel ab alia quauis corporis parte enascitur, cerebrumq; afficit. Præparantes autem (ut uocant,) duæ, nempe temperatura, & ætas, quas postea pertractabimus. externarum uero caussarum genus in sex numero partitur, in eas sane sine quibus animans nec uiuere, nec esse potest. quarum libro tertio historiam referemus.
Internæ igitur comitialis huius mali effectrices caussæ tot numero habentur, quot nostri corporis humores existunt: duæ tamen proximiores habẽtur, quarum altera humor est uel pituitosus, uel niger: primus enim quũ cerebro peculiaris maxime sit, in eo plurimum uiget ob temperaturæ utriusque similitudinem: nullam præterea mordacitatem habet, atque ob crassitiem non facile di-

labitur, ut in cerebro coacta, ex molli, qua prædita eſt, ſubſtantia facile in comitiali inuaſione excutiatur: quæ ſilentorem quoque præter craſsitiem interdum obtineat, ſæuiores caſus parit: ueluti ſecuudo libro clarius commonſtrabitur. Melancholicus autem poſt pituitoſum ſecundas obtinet parteis: ſiquidem & multus nonnunquam in capite progignitur ob uehementeis animi curas, ac perturbationes, litterarumq; ſtudia: propter quæ ſanguis peruritur, atque in atram bilem deſinit. Quibus fit, ut pueris, ſenibus, frigidisq; natura temperamenti frequentius uitiũ oboriatur, craſſorumq; atque frigidorum humorum purgatione curetur, uictuq; calido, ac ſicco, cæli ſtatu, locisq; ſiccioribus, quemadmodum poſtea demonſtrabitur. Effectrices uero internæ per cõſenſum cauſſæ duæ habentur, nempe ſpiritus quædam ſubſtantia aut qualitas, quæ alteratis per continuationem partibus cerebrum pertingentes afficiunt, ſiue a ſtomacho, ſiue ab alia quauis corporis parte proueniat. Hunc Græci & recte συμπάθειαν, nos cõſenſum dicimus, nempe ob aliena incommoda affectus quidam: quũ ſcilicet pars quæpiam corporis ab alia afficitur, quæ ex ſeipſa incolumis eſt, alieno tamen affectu, partis. ſ. uicinæ cõdoleſcit atq; afficitur. ueluti ex Ariſtotele clariſsime colligitur, qui περί φυσιογνωμ. Δοκεῖ δέ μοι, inquit, ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα συμπαθεῖν ἀλλήλοις, καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ἕξις ἀλλοιουμένη ἀλλοιοῖ τὴν τοῦ σώματος μορφήν. i. Videtur autem anima & corpus compati mutuo, & animæ habitus alteratus alterat una corporis formam. Hoc igitur conſenſu cerebri ſinus afficiũtur, dum uel a ſtomacho uapores, uel ab alia quauis corporis parte ſimplex quædam prauaq; qualitas conſurgens ad ipſos deferuntur. Cæterum author ille commentarii de flatibus atque de ſacro morbo, ſiue is Hippocrates, ſiue quiuis alius fuerit, oppoſitum omnino ſubſcripit. unam enim tantum huius mali cauſſam eſſe contendit, nempe aerem ipſum nos ambientem, qui plurimus per omne corpus uniuerſo ſanguini permiſcetur. tunc enim permultæ fiũt obſtructiones omnifariam per omnes

cap. 29.

omnes uenas. hic igitur aer quum in crassiores & pleniores sanguine uenas prodierit, progressusq; diutius maneat, prohibet sanguinis cursum, atque alio quidem loco consistit, alio lentius, alicubi adhuc tardius penetrat, qua sane inæqualitate transitus sanguinis per corpus facta omnigenæ inæqualitates per uniuersum corpus contingunt: uniuersum enim corpus undequaque contrahitur, ac conturbatur, nimirum corpore parteis suas ad tumultum, & conturbationem sanguinis subministrante: continguntq; ex sanguinis peruersione totius omnino corporis subuersiones. eo enim, quo corripiuntur a morbo, tempore neque sentiunt quidquam, neque audiunt quæ dicuntur, neque uident quæ fiunt, neque ullos aliquos dolores percipiunt. sic nanque aer conturbatus sanguinem turbauit, ac conspurcauit. Quapropter flatus ipsi uere huius morbi, ueluti & attoniti, stuporis, & syderationis, & id genus aliorum omnimodæ caussæ existunt. cæteraq; omnia, quæ caussæ uideri queāt, uel hos adiuuant, uel post hos in corpore morbos progignunt. Quod autem in uenas etiā spiritus copiam inducimus, nemo non probat. hæc nanq; corporis nostri respirationes existunt, aerem in seipsas attrahentes, & in reliquum corpus ac uenulas deriuantes; refrigerantq; ac rursus dimittunt. neque enim spiritus consistere potest, sed cursum ac deorsum procedit. etenim si alicubi constiterit, ac interceptus fuerit, illa pars impotens fit, ubi constiterit. cuius rei signum hoc est. quum enim desidenti aut decumbenti uenulæ compressæ fuerint, ut spiritus a uena non discurrat; statim torpor occupat. & reliqua. Minus fortasse id mirum, quam quod Aristoteles in cōmentario de somno atque uigilia scriptū reliquit. hic. n. unam etiam huius mali caussam esse contendit, spiritus nimirum halituosos plurimos sursum delatos, eosdemq; & somni caussam esse; atque comitialem propterea morbum somno quam simillimum esse memoriæ prodidit. quum enim somni tēpore multæ a cibis potibusq; fiant exhalationes (tūc enim altrix animæ facultas maximè ui-

get,)

get,) exigue autem & paucæ uigilia, uerisimiliter ait illos, qui comitialibus sunt conuulsionibus obnoxii, nocturno tempore ab illis potius tentari, & quũ dormiũt magis, quàm quum uigilant, ita enim scribit. σημεῖον δὲ, τὸ ὑπερβάλλειν τὸ μέγεθος τῶν ἄνω πρὸς τὰ κάτω κατὰ τὴν πρώτην ἡλικίαν. διὰ τὸ ἐπὶ ταῦτα γίνεσθαι τὴν αὔξησιν, διὰ ταύτην δὲ τὴν αἰτίαν καὶ ἐπιλήπτικα γίνονται. ὅμοιον γὰρ ὁ ὕπνος ἐπιλήψει, διὸ καὶ συμβαίνει πολλοῖς ἡ ἀρχὴ τοῦ πάθους τούτου καθεύδουσι. καὶ καθεύδοντες μὲν ἁλίσκονται, ἐγρηγορότες δ' οὔ. i. huiusce autem rei signum est, quòd supernarum partium magnitudo in prima ætate infernas excedit, quia ad illas fit accesſio: & hãc etiam ob caussam comitialem morbum incurrere soleat. Porro comitialis morbi similis est somnus: quamobrem plerisq; huius morbi initium dormientibus accidere consueuit. & sane dormientes tentãtur, uigilantes non minime. Quum igitur & in eo morbo, & in somno plurimi elati uapores caput oppleãt, atq; a superfluente cerebri frigiditate cõpacti rursum deorsum ferantur, hinc inde Euboici more Eurypi fluctuantes uenas sane replẽt, illasq; tumentes efficiunt. necesse est enim quum superne inferneq; nullo ferantur ordine; sibi plane occurrere & obstare, iccircoq; ab illis repletas uenas æstuare, & resurgere, in altumq; erigi, atque excrescere: quibus sane turgentibus spiritum ipsorum nullo negocio uiæ meatusq; obsepiuntur, & coarctantur, in primisq; ipsa aspera arteria, quam πόρον, id est spiritus meatum & transitũ appellat, qui per illam ad cor refrigerandum transmittũtur: hac autem obsepta neque inspiratio neque respiratio fieri facile possunt, unde & comitiales morbos & attonitos fieri contingit. Hunc imitari Auerrhous in collectaneis uisus est, qui persuasus ex eo, quod morbi a crasſis leneis ac frigidis humoribus facti diutini sunt: comitialis uero morbi accesſio sit breuior, (cito enim accedit, statimq; fere recedit:) eius caussam uapores noxios semper esse contendit. cuius uerba propterea referam, ut uideas quàm enixe Aristotelis uerba, sententiamq; semper tutatus fuerit, ait igitur ad hunc modũ.

Lib.3.c.41.

Et il-

Et illud quod significat nobis, quod non fit propter humiditatem nerui, nec propter ipsius infusionem, est propter subitam ipsius dissolutionem: & de necessitate est, quod humor faciens hoc, sit subtilis, eo quòd paroxismus eius cito transit, sicut fit in ægritudinibus acutis. Sed quia uidemus pro maiori parte, quòd qui patiuntur hanc ægritudinem, sunt frigidi & humidi sicut pueri, aut frigidi & sicci sicut senes: & uniuersaliter quia hæc accidētia apparent super frigidos, pro maiori parte significat quòd caussa ægritudinis est humor grossus. Sed cōtra dicit nobis hoc, quod humor grossus non cito dissoluitur, siue discurrat per strictos meatus, siue per latos, sicut dicit Galenus: quia dissolutio non est aliud quàm dominatio naturæ super humorem ipsum decoquendo, ut retineat quod est conueniens nutrimento, & aliud expellat. & hoc non fit in humore grosso, nec in eo quod est grossus, nisi longo tempore: sicut testatur experientia in ægritudinibus. & nos uidemus quod cito dissoluitur hic humor. Et ob hoc dicendum est quod hæc ægritudo non fit nisi propter fumum, qui generatur in ipso cerebro, uel in alio morbo, quod ipsum ei transmittit: sicut dicit Galenus de iuuene illo, qui sentiebat quòd quasi quidam fumus factus ascenderet ab uno mēbro ad cerebrum, & quando perueniebat illuc cadebat epilepticus. & hoc accidens est sufficiens ad probandum quod caussa huius ægritudinis est uentositas fumosa. Sed ista fumositas necessario communicat humoribus frigidis & humidis: & isti humores sunt isti uento ut materia: & propterea curatur hoc ægritudo euacuādo illos humores. Sunt & qui unā tantum in omni comitialis morbi genere caussam statuunt, non tamen aut cum authore libri de flatibus, atque de sacro morbo, aut cum Aristotele, Auerrhooq; conueniunt, eamq; uenenatam esse qualitatem quampiam, quæ totius substantiæ inimicitia cerebrum acriter feriat: quum tamen author libri de flatibus non uenenatos spiritus, sed aerem nos ambientem. Aristoteles uero habitus illos, qui ex cibis proxime sumptis ad caput

Lib. 3. de locis affectis. c. 7.

caput efferuntur, qui & somni caussæ existimantur, esse contendant. illamq; experimentis quibusdam tutari adnituntur. obseruatum enim ipsis aliquando fuisse aiunt e summo capitis uertice, in quo sub pericranio uitiatus humor uenenatusq; cohercebatur, uaporem manifesto sensu intro subire, qui comitialem concitaret accessionem, atque hanc postea caustico medicamento curatā: ut proculdubio existimandum sit intus, uel circum menynges, uel circum cerebri substantiam uitium contineri ueneni ceraulum: cuius ex interuallis impetu facto comitialis accessio suscitetur. aperto enim comitialis philosophi cuiusdam, qui decesserat capite, qui uehementissimo, eoq; fere perpetuo dolore uix digitum lato circa synciput torquebatur, deprehendisse aiunt crassiorem menyngem ea sede caluæ ossi adhærescere pauculo humore putri interiecto. in altero in cerebri substantia humorem fætidissimum, eumq. perexiguum contineri, utriusque tamen uentriculos & meatus omnis humoris, omnisq; obstructionis expertes. Multos præterea uidisse aiunt comitiales inde euasisse, quod in curanda lue uenerea dum unguentis ex hydrargyro illinerentur, nonnihil in aurem, & in cerebrum penetrasset, in hisrum cerebri sinus humore multo impleri & obsteui, sed ipsos corrupti hydrargyri pernicie lacessiri uolunt. Talem igitur & in omni comitialis morbi genere caussam existimandam dicunt: atque siquid interdum putridi humoris inesse deprehenditur, non ex ea ipsa putredine, sed ex uenenata, quam cōcepit, qualitate hoc mali suscitari. itaque quocunque corporis in loco is fuerit, uenenatum illic uaporem in cerebrum sublatum, id ipsum menyngasque totius substantiæ inimicitia acriter ferire. efferri autem ex interuallis haud secus atque in febribus intermittentibus, & in rabie, & in aliis plærisque morbis, quorum est stata recursio. cerebrum proprii ueneni offensa interdū ab omni mentis sensuumq; functione prorsus uacare, ueluti & cor in syncope interdum seipsum, uniuersumque corpus quatiens adniti offensam non aliter quàm cor-

palpitans

palpitans excutere. Galenus uero cunctis aduersatus ue locem ait morbi huius discussionem crassum humorem spiritus meatum in cerebri finibus obstruentem hunc ma xime affectum peperisse, neruorum principio seipsum quatiente quo excutiat id quod noxium est. A crasso igi tur humore hanc fieri affectionem argumento est, quòd & subito fit, & soluitur confestim. nam subitariam mea tuum obstructionem a crasso lentoq; humore fieri con-stat. etenim breui tempore fieri nequit, uti uel cerebrũ, uel tenuior ipsius membrana ad tantam perueniat aridi tatem, ut corio simili quidpiam perpeti posse uideatur. Accedit ad hæc, ut is, qui sic laborat, neque uideat, ne-que audiat, neque ullo sensu quidquam percipiat, ac ne consequi quidem posit quid factum sit, siquidem cum memoriæ uiribus ratio quoq; oblæditur. Ex his igitur omnibus plane constat in cerebro uitium consistere, im pediente humore animalem spiritum, qui in finibus eius continetur quominus exire posit. Cæterum dicam e-go sane quod sentio: quum enim sæpenumero istorum amplisimorum uirorum dissensum uiderem, eorumq; rationes contemplatus fuissem, medicis magis quàm philosophis in morbi huius caussa uestigãda adhæsi, atq; inter eos Galeno magis, quam authori illi de Flatibus li-bri, siue is Herodotus quispiam, siue alius fuerit: neque enim, ut mihi uidetur, eorum rationes usque adeo ualidæ existunt, ut eis assentiamur. & si enim per sese ueræ sunt, non omnis tamen huiusmodi generis caussa esse possunt, neque enim eius, quod a parte aliqua corpus enascitur. Nam quamuis frigidus quidam aer ab aliqua corporis parte consurgens cerebrum afficiat, non aer nos am-biens, neq; plane innoxius, sed spiritus quidam hablituo sus ueneno persimilis, qui neruos ita afficit, ut ad suam originem nẽpe cerebrũ inuiti retrahantur, cerebrumq; una conuellatur, unde & comitialis affectio necessario fieri solet. Eius uero generis morbi, quod lege quadam consortii a stomacho fit, aer extrinsecus caussa esse non potest. siquidem a uaporibus a stomacho ad cerebrum

Lib. 3. de locis affectis, com. 5.

D con-

confurgentibus, eiusq; sinus opplentibus fieri iam dictum est. Quod autem neque eius etiam quod primogenio affectu in cerebro enascitur, uel ea ratio est, quod ita comitialem hominem ueluti non comitialem morbus inuaderet, omnesq; eodem morbo animantes nedũ homines corriperentur: quando ita natura comparatũ est, ut aerem inspiremus, aereq; et nutriamur & uiuamus. cunctis enim animantibus aer uenas ingressus sanguinem exagitaret & conspurcaret. Nec quidquam sane facit, quod aiunt, aerem ipsum huius mali caussam esse tantum, quum in crassiores ac pleniores sanguine uenas ingressus diutius manserit: siquidem permultos uidemus plurimo sanguine refertos homines, quorũ uenas necessario aer ingreditur, neq; tamẽ comitiales esse. Nõ igitur huius magis quã alterius morbi caussa esse potest aer extrinsecus uenis interceptus: qui si morbum hunc nõnunquam cõmittit, non ut uenas ingressus sanguinem perturbãs, sed ut extrinsecus capiti imbecilli obueniẽs pro sui qualitate uel humores pituitosos auget, qui morbi huius caussa existunt, uel eosdem fundit, ac liquat, uel quidpiam aliud molitur, quod morbum committit: ueluti in tertio libro fusius dicetur. Quibus omnibus fit, ut non Hippocratis liber ille, sed alterius potius cuiusuis sit adiudicandus, ueluti recte sentit Galenus. Non igitur aer extrinsecus huius tantum morbi, sed & multorum, aut potius omnium, neq; una perpetuo eiusdẽ caussa fuerit. Quæ uero ab Aristotele de comitialis affectionis caussa refertur, quum non in uniuersum uera sit, & a Galeno diu confutata sententia, omittetur. quo fit, ut non omnino uerum sit, quod & ex ea sequitur, nimirũ comitiale malum nocturno potius tempore, quàm interdiu fieri, quum oppositum quottidie experiamur: atque omnes, quicũq; de eo morbo sunt aliquid commẽti, interdiu potius eo affici homines quàm nocte scripserint. malum enim illud uniuersalius Aristotelem accepisse cõstat: quum si quod noctu ingruat, ephialthes potius nuncupetur (incubonem Latini, Plinius noctis
ludibria

ludibria suppressionesq; nominarunt) quàm comitialis morbus. quæ enim comitiales interdiu, eadem ephialthici dormientes noctu perpetiuntur: estq; ueluti comitialis morbi nuncius, qui si diutius sese prorogauerit, crebroq; homines per noctem opprimat, grauius aliquod malũ præsagit: qualia sunt attonitus morbus, insania, comitialis, quum primũ in caput huius uitii caussa ferri cœperit. quod genus morbi nõ minus docte quã apposite Virgilius ita descripsit.

Lib. naturalis hist.

Lib. 12. Aeneid.

„ Ac ueluti in somnis oculos ubi languida pressit
„ Nocte quies, nequicquam auidos extendere cursus
„ Velle uidemur, & in mediis conatibus ægri
„ Succidimus, non lingua ualet, non corpore notæ
„ Sufficiunt uires, nec uox nec uerba sequuntur.

Est autem & crapula & cõtinua stomachi cruditas, à quibus exhalationum non modica quantitas caput opplet, huius mali caussa: quæ quum per somnũ magis fiant, magis etiam nocte ingruet morbus. Non igitur comitialis primum morbi caussa fuerit ea, quæ ab Aristotele traditur, sed ephialthici. Quod autem ad Auerrhoum attinet, eius rationes nihil fere ualent, quando crassi humores pituitosi nigri ue cito cerebri sinus obstruere, citoq; ex cerebri contractione motuq; concussiuo excerni ex ipsis dimoueriq; ualeat. quamobrem nõ semper ex crassis humorib⁹ accessio uel recessio morbi fuit diuturna. quin imo quòd cito fiat comitialis accessio, & cito decedat, ex eis apud Galenum indicatur. neque enim ab inæquali intemperie, neque ab humore tenui fieri posse comitiale malum apud eundem constat: quando intemperies cito decedere, & humor tenuis cito obstruere nequeunt: quemadmodum Auicennas etiam testatur: potissimumq; quum morbus hic ex humorũ fiat obstructione: id quod facile cognoscitur, quum, peracto motu totum quatiẽte hominem, temporis momento nullo tũ motu tũ sensu remanet ægrotus: quæ res non nisi ex obstructione fieri potest. Illud autem quod ait Galenus, nẽpe quod cerebri intẽperies non est comitialis mali caus

prima 3. tr. 5. c. 8.

ſa & origo, quum neque ſtatim fiat recedatq; ſtatim, non eſt utcunque intelligendum, ſed de ea tantum, quæ ſine materia exiſtit ueluti Auerrhous ſentiebat. neque enim hanc ſtatim fieri, factamq; nõ illico recedere uidemus: neque ab hac etiã inuaſiones fieri conſpiciuntur, quum alioqui ſemper fierent: ſed intemperiem cũ materia huius mali cauſſam eſſe ſentiebat, ueluti cauſſam (ut ſic dixerim) diſponentem. ſi quidem in omni comitialis caſu ex cerebri intẽperie frigida & humida facto pituita progignitur, quæ comitialis mali huius præcedens cauſſa exiſtit. Intemperies igitur cum materia, id eſt, quæ pituitoſum in cerebro progignit humorem, comitialis acceſsionis cauſſa eſt. Quùm uero non proprio affectu, ſed conſortii quadam lege ab aliquo uiſcere cerebrum conuellitur, qui comitiali uitio laborant, citra perpetuam cõuulſionem ueluti ſaliendo per interualla quatiuntur, neque diutius inſenſiles immotique permanent, quemadmodum iis, qui primogenio cerebri affectu laborant, ſolet obuenire: quum non adſit tunc cerebri neque cõtractio neque obſtructio. Non igitur, meo quidem animo, comitialis morbi cauſſam uapores ſemper eſſe exiſtimandum eſt: quando Galenus eius nos differentiam docet qui ex primario cerebri affectu, & eius, qui per aliarum partium aſſenſum fieri ſolet. Quæ uero ab Ioanne illo Fernelio, uiro ſane in naturæ abditis affectibus exercitatiſsimo doctiſsimoq;, ſcribũtur, ut quæ experimentis potiſsimum, atque iis perſæpe fallacibus cõſtent, quæq; Galeni rationes non demoliuntur, his telis confodiam. primumq; omnia iam ab ipſo cõmemorata huiuſce mali exempla ad id comitialis morbi genus referri cõtendo, quod a parte aliqua corporis enaſcitur, quum tamen cõſtet & a craſſo lentoque humore, atque a ſtomachi noxa (ueluti iam præceptum fuit) fieri poſſe. Neque enim cuiquam mirandum uideri debeat, ſi uitiatus uenenatusq; humor ſub pericranio coactus uapores intro tranſmiſerit, qui comitialem concitarit acceſsionem: ſiquidẽ humor ille uitioſus potuit ibi uel caſu percuſsioneue

Lib. 2. de abditis rerum cauſsis c. 15.

aliqua

aliqua progigni, qui putrefactus comitiale malũ accer fierit, aut, si mauis inibi per seipsum genitũ fuisse, ueluti in aliis corporis partibus fieri solet, (quemadmodum infra ex Hippocrate commonstrabitur,) ad eam comitialis mali differentiã reducetur, quæ a parte aliqua corporis enascitur: neque propterea una perpetuo comitialis mali caussa fuerit. Idem & de philosophi illius mortui morbo comitiali, ueluti & de tertio exemplo dicendũ uidetur. Quod uero permulti comitiales euaserint, quod in curanda lue illa uenerea unguentis ex hydrargyro paratis usi fuerint, si forte in aurem & in cerebrum nõnihil penetrasset, non est quod Galeni sententiam destruat: quando ad eandem huius mali caussam referre par est. nemo enim non scit uenenatam hydrargyri qualitatem in causario potissimum corpore non comitialem tantum accessionem, sed & attonitum morbum excitare posse: neque propterea in omni alio comitialis morbi genere caussam eandem esse existimandũ est. Quod autem iidem propemodum casus in hoc morbi generi sequantur, ueluti in eo, quod primogenio affectu in cerebro, nimirum in eo quod a crasso lentoque humore fieri solet, non est quod quis magnopere miretur: quando in comitiali cõuulsione, a quauis facta fuerit caussa, iidem semper casus spectari solent. alioqui nõ esset comitialis accessio, sed aliud potius conuulsionis genus. Quis enim non nouit conuulsionem eam comitialem, quæ a parte aliqua corporis enascitur, nimirum quæ a uenenata qualitate fieri solet, ex interuallis efferri haud secus atque in febribus intermittentibus, & in rabie? & in aliis plerisq; morbis quorum est stata recursio? cerebrumq; proprii illius ueneni qualitate ab omni mẽtis sensuumq; functione prorsus uacare, seq; ipsum atq; uniuersum corpus quatiens adniti offensam excutere? Quod uero & a dæmone iidem propemodum casus fieri possint, quum naturæ limites egrediantur, non secum magnopere contendimus, qui caussas tantum morbi huius naturaleis exquirimus. Cæterum, quoniam comitiali

cap. 12.

Lib. eodem 2. cap. 16.

mitiali

mitiali morbo ex proprio cerebri affectu constituto eadem perpetuo curandi ratio est adhibenda, siue humores crassi cerebro impacti, siue uapores a cibis exhalantes, aut etiam noxii quidam halitus proxima eius caussa habeantur, nihil ad rem facit huius controuersæ quæstionis determinatio: quum enim medicus circa ea uersetur quæ sensu percipiuntur, quumq; nullum plane manifestum habeat indicium in comitiali morbo ex primario cerebri uitio constituto, quod noxii quidam habitus eius caussa esse debeant, dicat necesse est eũdem affectum ab humoribus crassis frigidisque ueluti a proximiori eius caussa produci. quemadmodũ & Galenus enixe contendit. Dubitationem tamen facit Auicēnæ authoritas qui prima tertii canonis parte morbũ hunc inquit non ex pituitoso tãtum ac nigro, quemadmodum Galenus uoluit, sed ex omni fieri posse humore, nempe sanguineo, ac bilioso. quæ res tamen authori eius libri qui de sacro inscribitur morbo repugnat: hic enim biliosis nunquã contingere posse testatur. An quod authoris uerba sunt mature spectanda? neque enim, uti sonant sunt accipienda. constat uero apud probatos quosque medicinæ authores humores omneis in uenis una permixtos esse, omnesque propterea sanguinis nomine nuncupari, nõ mehercule simpliciter, sed quadam additione, nempe uel sanguine pituitosum, biliosumue aut nigrum, aut etiam sincerum. certo enim scimus comitialis morbi materiam humorem esse pituitosum, qui in uenis producitur Galeno authore. qui enim in uentriculo intestinisq; congeritur, nõ pituita uere, sed aut latius desumpto nomine pituita, aut mucosa potius materia nuncupatur. Id ipsum de nigro humore dici par est: quando sanguini commixtus (fex enim sanguinis est) aut sanguis niger, aut melãcholia sanguinea nominatur. Auicennæ igitur uerba ita exponemus. quum enim comitialem morbum inquit ex omnibus fieri humoribus, non ex omnibus proprie, sed iis una permixtis intelligit. neque enim Galenus Auicennæ dissentit: quum enim idem

Trac. 5. c. 8.

Lib. 2. de naturalibus facult. in fine.

idem malum ex pituitosis aut nigris tantum humoribus fieri ait, haud sane negat bilis aliquid uel flauæ aut nigræ illis posse commisceri. quinimo idē scyrrhi œdematisq; exemplo alibi sæpe comprobauit. hi enim quum ex crassis ac frigidis enascantur humoribus, interdum tamen & scyrrhum inflāmationis participē, erysipelatisq; pro sanguinis aut pallidæ bilis cū pituitoso nigroue humore cōmixtione & exuberantia nuncupamus. Quod si quis a sincero etiam sanguine comitiale malū fieri uelit, sciat illud perraro fieri: quando nunquam ferè uenas egreditur: qui si interdum permanet, sinusq; cerebri obstruat statim putrescit, spiritusque animales inficit, sæuissimosq; propterea casus parit, sensuque omni, ac motione priuatur animans: quem si natura expellere nequeat, mors illi proxima est. Biliosus itē humor quum tenuis maxime sit, ut parteis cerebri laxiores minime occupet, hunc etiam casum parere nequit: ueluti quarto de caussis pulsuum libro Galenus nos admonet, sed alium inuadit locum: nempe cerebri membranas, diuersosq; a comitiali morbos producit, ut igitur crassus pituitæ humor, ita niger quoque comitialem morbum efficere solet: ubi scilicet in cerebri sinibus retinetur, siue is medius sit, siue postremus: id quod Hippocrates clarissime demonstrat sexto morborum uulgarium libro his ipsis uerbis. Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & contra morbo comitiali laborātes melancholici: atque horum utrumuis magis accidit, prout uel in hanc, uel in illam partem morbus repit. si enim in corpus, comitiales, si uero in mentem, melancholici efficiuntur. Quem locum exponens Galenus hoc sermone primum quidem, inquit, declarauit quod nō semper, sed magna ex parte horum affectuum alter in alterū transit: quippe non solum nigra bilis, uerum etiam pituita (uti iam præceptum fuit,) morbum comitialem cōmittit. Affectus igitur comitialis quem nigra bilis constituit, in melancholiam morbum nuncupatum transit: qui uero a pituita partus est, in aliam affectionem per-

cap. de pulsu peri incumoniorum.

Sect. 8. aph. 44. & sect. 6. apho. 7.

Lib. 3. de loc. affec. c. 6.

muta-

mutatur, melancholiã uero haudquaquam efficit. Sunt qui comitialis huius mali ex nigro humore cõstituti Aristotelem eo problemate meminisse uelint, quo quærit cur est, quod qui illustres aliqua in re olim extitere, omnes melancholici fuere. ubi compluréis claros uiros refert, quos inter Herculem cõmemorare, quem melancholicum, & comitiali correptum morbo fuisse dicunt. quod an uerum sit, aliorum sit iudicium. neque enim uerbum ullum, ut mihi quidem uidetur, Aristoteles posuit, ex quo idipsum, quod isti cõtendunt, extricare possimus. Illud tantummodo asseruerim, quod, si quo tandem comitialis morbi genere captum Herculem fuisse uelint, eo sane laborasse, cuius Hippocratem sexto morborum uulgarium libro meminisse, & quem ex nigro humore constitui dictum fuit; atque propterea ad illud insaniæ peruenisse, quam μανίαν græci uocant, Aristoteles ἔκστασιν nuncupauit, quasi mentis excessum, & furorem: quando ipsum liberos suos interimentem fingunt tragici poetæ, & quem ueratro ab Anticyræo purgatum fuisse propatereaq; cõualuisse Hippocrates tradit, quẽ Nicearchus tristem insaniæ pœnitẽtiæ miro quodã artificio depinxit. Cambysem quoque huic malo obnoxiũ quosdam sibi maxime familiares per insaniam occidisse, Herodothus author est. Hoc eodem comitialis morbi genere captum C. Iulium Cæsarem, fortasse possumus coniectari, etsi paulo antea alias illius morbi caussas retulerimus. quum enim extremo tempore animo linqui, atque etiam per somnium exterreri soleret, qui casus melancholicis in primis obueniunt, comitialiterq; prolaberetur, melancholicæ hominem temperaturæ fuisse existimandum est. C. item Caligulam puerũ comitiali morbo laborasse scribunt historiæ, qui quum mentis postea ualetudinem sensisset, eiusdem temperaturæ, cuius & alii permulti clarissimi uiri iam commemorati, fuisse uero quamsimillimum est. Franciscum quinetiam Petrarcham hoc eodem morbo captum ferunt: ob animi fortasse curas & bonorum litterarum studia, quibus maxime

Sec. 30. proble. primo.

ibidem.

sene. in Herc ule furente.

in epis. ad Crat æuã Herbarium.

lib. 3. in Thalia.

Plutarch. in Cæsare.

xime

xime deditus fuerat. Virginem ego olim quandam Diui Philippi e Diuæ Claræ familia, Mathiã nomine, comitiali morbo ex nigro humore facto laborantem uidi: quæ ad illud tandem insaniæ peruenerat, ut & reliquas uirgines ueluti ingẽti quodam furore percitã persequeretur, postea comitialiter prolaberetur. Hic autem non sunt illi recipiendi, qui ex huius Aristotelis loci uerbis perperam acceptis puerorum comitiale malum ab atro tantum humore prouenire contendunt: neque mehercule rationi consentaneum est ex unico fere Aristotelis uerbo falso accepto medicorum illustrium placita subuertere. siquidem frequentius à pituitoso minus frequenter a melancholico fieri humore sæpenumero uidemus: unde & pueris familiare maxime fore dixerunt, quòd sane natura humidiores seipsis iuuenibus essent. Quòd autem Aristoteles non idem dicat, quod hi homini impingunt, neque puerorum comitialis mali meminerit quidem, clarissime constat, siquis græca ipsius uerba considerabit: ita enim ait. καί ἡ περὶ τοὺς παῖδας ἔκστασις. quem locum Theodorus ille Gaza, uir apprime doctus, & uerba reddere latina græcis solitus, conniuentibus oculis præteriit, ita interpretatus. Puerorum quoque mentis motio hoc idem explicat. quæ res quantum ab authoris sententia sit aliena, nemo non probat. Quum enim illic exempla subiiciat Aristoteles Heroum, qui melancholia laborasse dicuntur, primumque de Hercule agat, fuisse illum nimirum tali habitudine, signis, argumentisque collegit istiusmodi, quòd & comitialis morbus sacer ab eo antiquis dictus sit, & filios occiderit uecors, & furens, ut in Senecæ tragœdia tractatur & antequam obiret, ulcerum eruptione laborarit: idemque de Lysandro Lacedæmonio proxime ante obitum genus id nimirum ulcerum emersit. Quum igitur ita sese res habeat, mirandũ est hic de pueris mente motis in mediis agi Heroibus: quando nulla magis ætas ab atra hac bile, quam μανίαν dicimus, quàm puerilis abest. Nõ igitur comitialis morbus, quo pueri plurimum capiuntur, ab atro tantum humore

sect. 30. proble. 1.

Comitialis morbus fre[quentius a pi]tuitoso humore

sect. 10. proble. 49.

sect. 30. proble. 1.

Theodorus gaza notatur

in Hercule furente.

more, quin potius a pituitoso. neque illud Aristoteli adscribendum, quod ne somniauit quidem: quum alioqui sibi ipsi aduersus esset, qui in commentario de somno & uigilia unam perpetuo comitialis mali caussam esse contendit, nempe uapores ab assumptis cibis exhalãtes, qui pituitosi potius, quàm melancholici esse uisuntur. Theodori autem conuersio, Pontanusq́ue hunc secutus, etsi mihi difficultatis afferebat multum, consultus tamẽ græcus codex nescio quid lucis mihi attulit, dũ tamen mitioribus interdum litteris laxandi animi gratia operam darem, atq; in Angeli Politiani miscellanea inciderem, nescio quo pacto caput, cuius inscriptio est, qui uir Theodorus Gaza, quantumq́ue tamen lapsus in Aristotelis problemate uerso, mihi occurrit legendum. quod quum auidissime legerem, Deus bone quantum iucunditatis mihi attulit: ut ex qua lectione, quod iam antea animo conceperam, id totum mihi ipsa demonstraret. Non igitur Aristoteles pueros comitiali morbo laborare, aut, ut Petrus ἄπονος etiam inquit, stupore, siue quod ipse ait congelatione ab atro tantum humore proueniente intelligit: quinimò neque quod morbo laborent istiusmodi ex eius uerbis colligi potest. ἔκςασις enim nempe mẽtis motio, ut Theodoro placet, seu potius pauor, aut si maius mentis excessus, uti Diuus Hieronym⁹, non ita comitiali morbo conuenit, ueluti melancholiæ morbo nuncupato: quando eius notæ propriæ sunt pauor & mæstitia Hippocrate authore: qui morbus quum ab atra nonnunquam fiat bile, furorem, græci μανίαν uocant, efficit, quo Herculem laborasse dictum est. etsi rectius timor, non pauor diceretur: siquidem φόβος pauorem proprie significat, qui pueris plurimum solet obuenire in somno, terribiles nẽpe per somnum imaginationes, ueluti constat ex Hippocrate & Galeno libro aphorismorum tertio. utroque tamen in loco φόβος dictione accipit Hippocrates pro pauore, & pro timore. Siquis tamen ἔκςασιν pro solitario accipiat, ueluti Diuum etiã Hieronymum interdum accepisse constat, neque illum reiicimus:

lib. 6. rerum cælestiũ c. 8.

c. 90.

in 30. sectum probl. 1.

marius

2. aphoris. 50.

apho. 24.

reiicimus: quandoquidem qui melãcholia, aut etiam furore capiuntur, ſolitudines amant: quemadmodum & de Bellerophonte tradit Ariſtoteles ex Homero: qui melancholia correptus loca perſequebatur deſerta: ita enim ait Homerus. *ſect. 30. proble. 1.*

,, Ητοι ὁ καππεδίον τὸ ἀλήïον οἶος ἀλᾶτο

,, Ὁ θυμὸν καθέδων πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων. idest.

,, Qui miſer in campis mœrens errabat aleis;

,, Ipſe ſuum cor edens, hominum ueſtigia uitans.

Quod autem ἔκςασις furorẽ, nempe μανίαν ſignificet, uel Ariſtoteles ipſe ſtatim oſtendit his uerbis. ἔτιδε τὰ περὶ Αἴαντα, καὶ βελλεροφόντ, ην ὧν ὁ μὲν ἐκςατικὸς ἐγένετο παντελῶς, ὁ δὲ τὰς ἐρημίας ἐδύοκε. idest. Item & in Aiacẽ, & Bellerophontem, quorum alter omnino furens factus eſt, alter loca perſequebatur deſerta. Vtraque tamen expoſitio, nempe ea, quæ Diuo Hieronymo adſcribitur, & poſtrema, quæ Ariſtotelis ipſius exiſtit, quum utrique exemplo (altera enim nimirum prima Bellerophonti, Aiaci poſtrema,) optime conueniat, recipienda, Theodoriq; reiicienda. Quod autem ad Pontanum tuum, quem tantopere facis, attinet, nulla cauſſa eſt, ut hominem ſequar: ſiquidem in eundem fere, quo Gazes, errorem lapſus fuit. Hæc autem propterea ita nuda tibi expoſui; quòd apud quem hæc ſcriberetur oratio cernerem: nunc cõplectatur quod propoſui, breui: ſi. n. omneis huius morbi cauſſas explicare uoluerim, eam etiam perſequar, cuius Hippocrates in Prorrhetico meminit, ſiue is Hippocratis liber, ſiue Theſſali Draconiſue eius filiorum fuerit, his ipſis uerbis. *ibid. probl. 1.*

" Sanguinis eruptiones, quæ ſtatis tẽ-
" poribus fiunt, ſiticuloſæ difficiles, ac exoluentes, ſi ſan-
" guinem non effuderint, in comitialem morbum finiunt.

Quibus uerbis illud plane ſentit: quòd quibus euacuatio conſueta retenta fuerit, his ex plenitudine morbi fieri ſoleant: manante nimirum ipſo ad eas corporis parteis, quæ retentis excretionibus propinquæ ſunt: uel ad eas, quæ imbecilliores exiſtũt. ſi enim ſanguis e naribus ſtatis quibuſdam temporibus effluere ſolitus ſupprima-

tur, capite oppleto necesse est cerebri sinus obstrui, atq; ita comitiales accessiones fieri: præsertim si aut pituitosior sanguis, aut nigrior fuerit. Illud idem & in Hæmorrhoidum suppressione cognoscitur: quum enim per has uenas materia fæculēta, atque melancholica statis quibusdam temporibus excerni soleat, si supprimatur, interdum ad capitis uenas ueluti ad locum imbecilliorem a natura propellitur, qua cerebri sinus obstructi comitialem, aut melancholicum morbum nuncupatum pariunt, ueluti si ad pulmonum uasa nōnunquam deferatur, tunc uase aliquo disrupto tabes accersiri necesse est. Sed par est eam etiam persequi huius mali caussam, quam Astrologi referunt: in primisque Ptolomæus ἀποτελεσμάτων libro tertio. quam eo libentius hic inserere placuit: ut sciremus Astrorum etiam motus ad morbos tum progignendos, tum etiam profligandos cōferre plurimum. id quod quum authorum placitis, tum experientiæ etiam cōsentire & nos fatemur, & T. Gallius Victor, necessarius meus, uir quum in omni doctrinæ generæ, tum uel in mathematicis egregie doctus, acerrimique iudicii nō semel obseruasse, illudque iis antea prædixisse, quorum intererat, acriter asseuerat. Huius enim uiri tanta ingenii felicitas, tanta est doctrina, ut magis, magisque in dies & laudanda sit morum honestissimorum eius suauitas, & admirandum ingenium. Sed iam Ptolmæum adoriamur: qui græce ita loquitur. Επιληπτικοὶ μὲν γὰρ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ γίνονται, ὅσοι τῆς ☽, καὶ τοῦ ☿ ἀσυνδέτων ὥσπερ εἴπομεν πρὸς ἀλλήλων ὄντων, ἢ τῷ ἀνατολικῷ ὁρίζοντι τὸν μὲν & quæ sequuntur proxime. quæ si conuertantur, hanc sententiam habebunt. Epileptici namque plerunque sunt, qui Luna Mercurioque nec aut inuicem colligatis, aut cum orientali finitore Saturni quidem stellam interdiu, Martis uero noctu cardinalem habent, quæ superiore e loco figuram despiciat, & reliqua. Laborabit igitur morbo comitiali, efficieturque epilepticus is, (ut in uniuersum dicam.) in cuius genitura Luna horoscopum tenens, aduersum sese, atque in occasu constitutos habuerit pariter

lib. apoteles. 3. c. de affectibus animalibus.

ter Saturnum, atque Mercurium. Neque enim Luna Saturnusque propter humorum maiora incrementa, cerebrum tantum uitiabunt, quo e uitio natus is comitiali morbo laborabit: uerum etiam ingenium obtundent: ueluti in multis usu uenisse compertum est comitialibus hominibus: corrupto nimirum Mercurio, uitiatisq; mẽtis instrumẽtis, quam sedem in capite suam habere iam dictum fuit. Quocirca idem hic natus futurus est etiam lentus, ignauus, stultus, fatuus. Quid quòd eodẽ quoq; morbo laboraturus creditur, qui in lucẽ prodiens hinc Martem, illinc Saturnum solidis e signis atque ex oppositis locis inuicem aduersantes expertus fuerit: alterũ scilicet ab ortu, alterum ab occasu siue ab imo alterum atque alterum a culmine. Eundem etiam morbum progignent, ubi in tropicis constituti signis eadem sibi radiatione aduersabuntur, quodq; tropica signa maioris sint prærogatiuæ, morbus ipse sanari uix poterit. Sed par est eas etiam persequi huius mali caussas, quæ a parte aliqua corporis enascuntur, cerebrumque pertingentes conuellunt: ut perfectam morbi huius caussarum scientiam habeamus. Est igitur quoddam comitialis morbi genus, quod a parte aliqua corporis enascens, cerebrumq; pertingens conuellit, quod raro fieri dictum fuit. Fit autẽ ueluti Pelopi claro olim uiro, Galenique magistro placet, aut quia qualitas quædam alteratis per cõtinuationem partibus, aut quòd spiritus quædam substantia trãsmittitur. Neque mirandum est adeo ualidam uim inesse humori, qui in affecta præter naturã parte progignitur, ut perniciosarum ferarum uenenis posit comparari. Quis enim crederet uel Scorpionum, uel phalangiorum ictibus totum corpus uehementi adeo mutatione affici, nisi sæpenumero illud contingere uideremus? præsertim minimam quandam rem feris in ipsum demittentibus. Pelopi itaque placuit fieri posse uti in corpore similis aliqua essentia progignatur non accedẽte caussa extranea: quæ ubi neruosam quampiam partem occupauit, per cõtinuas parteis ad neruorum usque principium uim suam c.4.

transſmittit: ſiue illud per alterationem, ſiue ſpiritali eſſentia fiat, ueluti aura ad ipſum elata. Fieri igitur Pelops dicebat quum ex icta parte per totam ipſam celeriter distribuatur ueneni uis; eam inde eodem rurſus contactu in ſingulas ſubditarum ei partium recipi; mox ex illis in alias continuas, atq; iterum ex his quæ afficiuntur, in alias: quumque ad dominantium partium aliquam peruenerit, tum mortis periculum homini inſtare, quominus mirandum eſſe ait, ſi ab ignobili aliqua corporis parte tãtus morbus oriri poſsit. Quam autem ob rem in id gen⁹ uitiis lege conſortii factis comitiales fiant cõuulſiones eſt perſcrutandum. quum enim per eiuſmodi conſortiũ uiſum aliquando fuerit laborantem uehementi ſine conuulſione cõcidere, ſimulque per interualla breuibus quibuſdam motionibus concuti, probabile uiſum eſt Galeno, quemadmodum ſingultum fieri cernimus affecto uẽtriculi oſculo, ita hoc quoque uitii euenire. id quod patet ex eo, quod ſi quis facilem habet ſtomacho ſenſum, cum ſingultus illico inuadit, ſi piperis aliquando immodicam quantitatem ingeſſerit. Proinde exiſtimãdum eſt ſimilem aliquem cerebro motum contingere, qualis ſtomacho interdum a quapiam re infeſtato ſolet obuenire, quippe quum ciborum mole grauatur, aut ubi corruptis cibis mordicus infeſtatur, tum ſingultu affici conſpicitur. Atque acrem quoque humorem non ſingultum modo, ſed & cõuulſionem per uniuerſum corpus ſæpenumero efficere uidemus, deinde uomitu eiecto eo quod morſum inferebat illico quieſcere, quominus mirandum eſt ſi neruorum principiũ huiuſcemodi commotione quatiatur, ut a ſe expellat quidquid fuerit illud quod a parte primum affecta ad ipſam affertur. Dubitationem tamen efficiunt Galeni uerba, qui materiam huius mali lege cõſortii facti referens aliquam dicit prauam ſubſtantiam aliqua corporis in parte procreari, ut ueneni tum uires tum qualitates æquet, atque eiuſmodi uitia ita a corruptione quæ in corpore fieri poteſt producantur, ueluti a lethalis cuiuſpiam ueneni potione fieri quotidie uidemus:

lib. 3. de locis affectis. c. 7.

demus: quod tamen naturæ alienū maxime uidetur: quū nullum in animante agēs reperiatur, quod humores ita afficiat, ut putrefactionem in eis ueneno quàmsimillimam pariat, quum præsertim natiuus calor omneis corporis partes tueatur. An quòd humor aliquis in aliqua plerunque causarii potissimum corporis parte externa maxime cōcluditur, ut a naturali calore destituatur, qui postmodum putredinem usque adeo ingentem suscipit ut ueneno proximus uideatur. Neque enim ut uenenum primo suæ naturæ ortu, sed longo ordinis progressu atq; mutatione talis euadit. Vt enim ex uaria humorum putredine, siue ea ex intēperie siue aliis ex caussis orta sit, diuersi generis febres excitantur, ita sane ex putredine longius progressa, uel alia cæciore ex caussa corruptionem quandam in nobis sponte gigni uidemus, quæ non modo ueneni uires æquet, sed & ipsa tota uenenū fit. atque ita syncope grauis admodum & periculosa plerunq; fit ex concreto sanguinis grumo maxime si uel in uentriculo uel intestinis: deinde si in pectore, aut uesica putrescat, fitque ea cum pulsu paruo, respiratione difficili ex tremorum frigore, & sudore frigido, suborta interdum febre. Non admodum dissimiles etiam casus traduntur & a concreto putrescenteque lacte gigni. extremum pedem aliquando sideratum uidi sine caussa quapiam externa, sine tumore aut rubore conspicuo, oborto primum dolore immanissimo mox sensum atque motum periisse, partem totam liuore contabuisse, exulcerationem fœdam insequutam, quæ acerrima medicamenta causticaque atque ignem demum admitteret, ita ut totum pedem abscindi necesse fuerit. In uteri porro strangulatu plærunque mulier sine motu sine sensu quasi extincta iacet cum pulsu obscuro paruoque eatenus, ut interdum ne percipi quidē possit, cum animi defectione & difficili spiratione, quæ non modo pectus opprimit, sed & fauces quasi manu prehensas præcludit. Hunc aūt tam sæuis casibus comitatum tradit Galenus uel a suppressis menstruis, uel a cohibito semine proficisci, quod uitiatum

tum maiorem quàm menstrua uim & noxam corpori infert. At quum non ipsa corrupti seminis substantia, sed uapor duntaxat in cordis cerebrique sinus sublatus istorum sit author, quis non illum uaporem multoque magis uitiatum semen, unde is prodiit, censeat uenenatæ qualitatis conditionē ac uim obtinere? Hanc sane caussam, quæ mole parua maximas solo contactu alterationes infert, recte Auerrhous in collectaneis demonstrauit, dum uteri casus referens ita scribebat. Et ego dico quod non est imposibile quod generetur in corporibus malis, & eorum substantia humor unus similis ueneno, & potissimum in hoc membro, eo quòd locus est & conceptaculum superfluitatem corporis, quæ paratæ sunt recipere corruptionem. Cæterum dices, neque illud auferre dubitationem: quoniam etsi humor ille corruptissimus in corpore progignitur, mirandum omnino uidetur, eundem tādiu latitare, quin statim uenenatæ potionis exemplo mortem inferat. Verum enimuero Galenus illud optime declarat, dum enim Prorrhetici authorscribit, Perniciosa sine signis leuantia mortem indicant: idest quum morbi lethales atque perniciosi sunt, ægrotique leuius aut recte habere uidentur non præcedente noxiorum humorum aut cōcoctione aut uacuatione, nota futuræ mortis existit. Etsi enim (inquit Galenus) perniciosi illi humores latitare uidentur, cōtinue tamen deteriores fiunt, quousque ad tantam perniciem deueniant, ut repente subinde hominem perimant. quēadmodum exemplo est canis rabidi uirus, quod quum diu latuerit, repente postmodum interimit. ita enim inquit. Nam caussæ aliquæ eorum, quæ in corpore procreantur potentia uirtuteque tum uirus rabidorum canum, tum lethalia ea medicamenta nempe uenena repræsentant: quæ etsi in affecto loco nullum protinus nota dignum pariunt casum, post quatuor tamen uel sex menses, uel longinquiorem temporis tractum hominem perimunt. scimus enim nonnullos & a cane rabido cōmorsos, qui postea tum aquas formidarunt, tum a morsus initio

lib.3.c.31.

lib.1.cōm.2. tr.17

initio post duos, uel treis, uel quatuor, uel multo plures menses interierunt. Noui sane & quendam, qui exacto anno eum incidit affectum quem ὑδροφόβον uocant. et paulo post ita prosequutus est. Non est igitur absurdum ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor qualis est & rabientium canum, & tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum, idest uenenorum, quæ post longum tempus interimunt. Clarissime igitur ex his Galeni uerbis constat talem in corporibus humorem posse progigni, quale uenenũ existit, qui post temporis interuallum hominem perimit. Illud autem nulli mirandum uideatur, quum tot eduliorum adustiones, tot putredines humano in corpore fieri quotidie uideamus, totque animi perturbationes, ex quarum diuersarum miscella id genus uenena progigni creduntur. Quam rem Empyrici quidam malefici imitati, ex uariarum rerum putrescentium mixtura uenenorum quædã genera lethalia admodum parant. siue igitur extrinsecus accedens, siue intrinsecus factum uenenum hoc animãti obfuerit, nẽpe quum indicibilis quædã praua qualitas a forma quã uocant specifica producta, uel humoris uel uenenati cuiusuis animãtis solo contactu partem quampiã alterat, quæ alterata uicinã sibi inficit, atq; hæc aliã, quousque ad cerebrum tandem pertingat, ingentes ac sæuissimos casus parit, comitialem, syncopam, mortemque nonnunquam infert. Cur igitur, dices, materia illa uenenata corporis eam partem non lædit, in qua residet & procreata est? An quod pars illa etiam, minus tamen oblædit: hæc enim familiaritatem quandam cum ea contrahit, ob quam minus oblæditur, ueluti exemplo sunt cum aliæ permultæ corporis partes, tum in primis bilis uesicula, quæ quum feruentissimũ recipiat humorem, ob familiaritatem tamen, quam cum bile calidissima habet, minus ab ea peruritur ac proritatur. An etiam quod pars illa eam a se materiam depellit, quominus ullo ab ea nocumento afficiatur. Cæterum quæras hic cur est quod quemadmodum in homine & cane per-

F niciosus

niciosus admodum humor iste procreatus morte͂ progressu te͂poris infert, qui uero in feris, quæ morsu ictu ue uenenum eiaculantur, existit, non idem efficere co͂pertum est. An quòd non eadem ratio est perniciosi humoris in homine & cane facti, & eius qui in uenenatis fœris reperitur. qui enim in homine & cane perniciose noxius est humor a natura destitutus est, ut qui corpus nedum alere aut augere, uerum potius corrumpere potest. qui uero uiperarum uenenatarumq́ue ferarum est, non modo iis noxius non est, uerum & alit eas & auget: quum natura comparatum sit, ut, quod uni est alime͂tum, alteri uenenum existat: scorpii exemplo hic enim ictu in nos facto, uenenum illud eiaculatur, nosq́ue interficit: econtra uero hominis saliua ieiuni in primisque biliosi scorpium pernecat. ut multa interim alia omittam, quæ idipsum ostendere possent: quorum in commentariis de locis affectis Galenus abunde commeminit. Cæteru͂ quando sermonis serie ductus longius quàm fortasse opus fuerat digressus fui, ad institutam disputationem redeundu͂ esse operæprecium facturum existimaui. Quare locus in quo id genus procreatur affect⁹, qui qualisq; esse debeat consideretur. Cerebrum uero illum esse & supra iam dictum fuit, & Galenus nullibi non demonstrauit, crasso nimirum ac frigido humore magna ex parte animalem spiritum qui in uentriculis eius continetur, impediente quominus exire posit. Nos autem ea ratione idem asserimus, quòd quum omnes corporis partes in comitiali casu æqua lance quatiantur & conuellantur, sensuque ac motione priuari conspiciantur, cerebrumq́ue corpori uniuerso mouendi sentiendiq́ue facultatem suggerat, ipsum primum affici, neque totum cerebrum, sed eius tantummodo sinus male habere ex eo deprehenditur, quòd repentinus prolapsus citaq́ue excusio non nisi in eius parte laxiore amplioreq́ue fieri potest. cerebri autem nulla capacior pars quæ uias ampliores uasaq́ue latiora ad recipienda excutiendaq́ue excrementa habeat, quam sinus ipsi conspiciuntur. Quamobrem recte sane Galenus

lib. 3. c. 7.

lib. 2. aphor. 45. 3. de loc. affe. c. 5.

Galenus tertio de locis affectis libro comitiale malum cerebri sinuum tantummodo affectionem esse memoriæ prodidit. An uero cerebri sinus omnes lædantur: quum digna uestigatione res habeatur, perquirenda est. Actuarius in eo quem de actionibus & operibus animalis spiritus scripsit commentario comitiale malum communis sensus affectionem esse uoluit, ueluti & attonitum & catalepsim & coma. communis enim sensus actiones lædi in id genus affectibus perspicuum esse ait. quæ res Galeno non probatur, qui ueternum ait & uigiliã sensus tantum communis affectus proprios esse, non autem comitialem conuulsionem aut attonitum aut catalepsim aut coma, quemadmodũ Actuarius sentiebat. An quòd idem ambo diminute tamen Actuarius, clarius uero Galenus dicunt? quum enim sensus exteri omnes in comitiali cõuulsione lædantur, anteriorem cerebri partem affectam esse non est quod quis magnopere miretur. In hac aũt cõmunem sensum residere nemo non probat. Quoniã uero præter sensuum exterorum læsionem memoria quoq; & ratio oblæduntur, uniuersumque corpus conuellitur, omnes cerebri sinus una affici necesse est. Nõ igitur sensus tantum communis in comitiali conuulsione, sed & ratio memoriaque afficiuntur. Propterea Galenus tertio de locis affectis libro dicebat, eũ qui ita laborat, neque uidere neque audire neque ullo sensu quidquam percipere, ac ne consequi quidem posse quid factum sit, siquidem cum memoriæ uiribus rationem quoque oblædi necesse esse. in quarto uero eiusdem nominis libro, in sopore inquit anteriorem, in catoche uero & catalepsi posteriorem, in comitiali atque attonito morbo utranq; partem uitiari. nec fieri potest quin omnes cerebri partes læsæ uitientur, quando in eo morbo totum contrahitur cerebrum, quemadmodum antea ostensum fuit. Quo etiam ex loco colligitur horum trium morborum differentia, quum ab eadem caussa proueniant: siquidem omniũ frigidus, crassus, aut omnino lentus humor caussa est: quorum medius comitialis existit, conuulsionem

lib. 1. c. 13.

Oribasius in 3. aphor. cõ. 24.

lib. 1. de caussis sympt. in fine.

afferens uniuerſo corpori, uerum in reſolutionem nervorum non finitur in ſopore. præterea & comitiali morbo ſinus magis cerebri corpus minus, in attonito uero utraq; affici ſolent. in hoc etiam ſpirationis munus oblæditur, in comitiali nequaquam. Dices fortaſſe, ſi illud tãtum comitialẽ inter atque attonitum morbum diſcrimen exiſtit, ut in comitiali cerebri ſinus corpus minus, in attonito uero utraque afficiantur, neceſſe erit omnem attonitum morbum quidam comitialis antecedat, quod omnes cerebri ſinus repente & affatim impleri nequeant, quin prius modice leuiterq́ue obſtruantur. At contra fieri deprehendimus, attonitum nempe primo repenteq́ue inuadere, quem nullus præuenerit comitialis affectus. Quin etiam ſi in comitiali frigidior pituita cerebri ſinus meatusq́ue ſemper obſtruit, eo per acceſſionem dum neruorum principium (ut inquit Galenus) ſeipſum quatit diſcuſso, non aliis præterea acceſsionibus laborabit: atqui nihilominus recurrunt, aut ſi ſemper alius & alius humor per acceſsiones influat, qui fieri poterit, ut quum quis terq́ue quaterque primario affectu corruit, quales non paucos uidere licet, tam multus tamq́ue craſſus humor ſuccreſcat? quænam ea ſcaturigo, unde toto uitæ curriculo dimanet, & in meatus incurrat? An quod attonitum nullus comitialis morbus præcedit, ſed hominem repente inuadit, ſuffocatq́ue? ea ſane ratione quod in attonito craſſus ille lentusq́ue humor principes cerebri ſin⁹ una uice & cumulatim ita replet, ut omnes corporis particulæ, quibus ſentiendi mouendiq́ue facultas a cerebro ſuggeritur, motum ſimul ac ſenſum amittant: quas inter & muſculi thoracis exiſtunt, quorum actio omnino deperditur, qua ablata perire una reſpirationem neceſſe eſt. Vnde cordis quoque temperamentum neceſſario diſſoluitur: quo tandẽ fit ut etiã animalis ipſius neceſſarius ſequatur interitus. neque mehercule ob aliud attonitos mori contingit, quàm quod ſpiratione priuati ſunt. Illud autem comitiali in morbo non apparere nemo non probat: neq, enim

principes

principes cerebri ſinus cumulate, neque ita confertim replentur, alioqui eius acceſsio non cito diſſolueretur: ueluti antea dictum fuit. Multæ autem recurrunt comitiales inuaſiones, pluribusque in dies homines capiuntur, quòd ſemper alius atque alius humor per acceſsiones influit, ſuccreſcitque. quo modo autem ſuccreſcat, Hippocrates in commentario de ſacro morbo abunde demonſtrauit: ſtatimque infra declarabitur. Dices etiam fortaſſe Galenum ſecum pugnare, ſiquidem inter initia quinti libri de locis affectis comitiali morbo tentatos, ueluti & ſopore, & catalepſi, atque lethargo, uiolenter ac uix reſpirare ſcriptum reliquit his ipſis uerbis, *c.1.* quum tamen priore eiuſdem argumenti libro clariſsime dixerit in iiſdem affectibus reſpirationem ſeruari natuturalem. *lib.4.cap.2.* ἴσως ἂν τὶς ἐξ ὧν ἡμεῖς εὐπορήσαμεν αἰτίων, δι' ἣν καρδία βλάπτεται παθόντος τοῦ ἐγκεφάλου κατὰ τὰς μεγάλας ἀποπληξίας ἐκ τούτων αὐτῶν εὐπορήσει καθ' ἕτερον τρόπον εὑρεῖν τὴν αἰτίαν δι' ἣν ἐν ταῖς μικροτέραις ἀποπληξίαις, καταλήψεσί τε καὶ κάροις, ἐπιληψίαις τε καὶ ληθάργοις οὐκ ἀπόλλυται τὸ πάσχον οὕτως ζῶον. εὑρήσει δὲ καὶ τοῦτο θεασάμενος ὅπως ἀναπνέουσιν ἐν τοῖς εἰρημένοις πάθεσιν οἱ πάσχοντες. ὄψεται γὰρ ὅτι βιαίως τε καὶ μόγις ὡς ὑποδεσμοῦ τινὸς εἰργομένου διαστέλλεσθαι τοῦ θώρακος. id eſt. Ac fortaſſe cauſſas quas nos attulimus, cur affecto cerebro in magnis apoplexiis cor lædatur, eaſdem aliquis ſequutus alio inuenire modo poterit cauſſam, quamobrem in minoribus apoplexiis catalepſibusque & caris & epilepſiis & lethargis. minime quod ſic afficitur perit. Neque ſane minus id reperiet, cõſiderans quonam modo in dictis affectibus reſpirent laborantes, uidebit enim uiolenter id illis cõtingere, quaſique uinculo quodã adſtrictus attolli prohibeatur thorax. uerba autem ex quarto libro hac ſunt. ὅταν δὲ ἀνατετραμμένου τινὸς ὀστοῦ μέση κοιλία θλιφθῇ κάρος καταλαμβάνει τὸν ἄνθρωπον, ἄνευ τοῦ σπασθῆναι καὶ δυσχερῶς ἀναπνεῖν, ὧν τὸ μὲν ἐπιληψίας τὸ δὲ τῆς ἀποπληξίας ἐστὶν ἴδιον. ὥσπερ γε καὶ κάρου, καὶ καταλήψεως, ἡ κατὰ φύσιν ἀναπνοὴ σωζομένη. ἀλλ' ὁ μὲν κάρος κεκλεισμένων γίγνεται τῶν βλεφάρων, ἡ κατάληψις δὲ ἀνεῳγότων. Hoc eſt. quum in oſsis peruerſione ſinus comprimitur medius hominem

caros

caros corripit ſine conuulſione, & ſpirandi difficultate, quorum alterum morbi proprium eſt comitialis, alterum attoniti. quemadmodum ſane cari & catalepſis ſpiratio naturalis conſeruata illo tamen diſcrimine, quod in caro occluſæ palpebræ conſpicuuntur, in catalepſi uero adaperte. Vides igitur ut ſuperioribus uerbis in comitiali morbo præter carum & catalepſim & lethargum ſpiratio difficilis ac uiolenta appareat, quam tamen ſequentibus uerbis naturalem in iiſdem affectibus ſeruari clariſsime docuit. Ego uero (ut ingenue fatear) quum nulla mihi ſuppeteret ratio qua diſsidium hoc diluerem & in qua mihi ipſe ſatisfacerem, propterea que permultos Galeni ſtudioſos uiros conſulerem, neque quiſpiam quid afferret, uitam mihi eſſe acerbam putabam. tandem in hanc ſententiam ueni (ueluti tu Flaui optime teſtis es, quam tibi uel probandam uel improbãdam iamdudum ſcripſi) ut Galenus in quarto de locis affectis libro hos omnes affectus propriis quibuſque notis inuicẽ diſtinctos nobis deſcripſerit, atque ita fere depinxerit, ut nulla alterius mixtura alter uitietur. Hac igitur ratione comitialis morbus ſopor catalepſis ſine ulla prorſus ſpirandi difficultate notantur: nimirum quoties nullus his admiſcetur alius affectus cuius acceſsione confuſiis ſpectentnr notis neceſſe ſit. Quod autem ita ſeſe res habeat, uel omnes hi morbi teſtantur, nempe ſopor catalepſis, comitialis, attonitus, quorum una eademq; humoris habetur cauſſa, frigidus ſcilicet humor, craſſus, ac lentus, atque in quo fiunt, locus idem eſſe creditur, nẽpe caput, ea tantũ inter ſeſe diſsideat differentia, quod anteriorem alius capitis magis occupat partem, poſteriorem alius: quemadmodum alius cerebri ſinus, corpus alius magis infeſtat. Quum igitur tanta ſit locorum uicinia, facilis profecto in alienum locum humoris tranſitus fiet, aut ſaltem difficile non erit, ut parteis ſibi quiſque proximas lege quadam conſortii trahat. eadem mehercule ratione qua comitiales melancholicos plerunq;, ueluti econtra melancholicos comitiales fieri ex Hippocrate

crate iam ſupra didicimus. Ad eundem etiam modum qui comitialibus ſæuiſsimis acceſsionibus capiuntur, credendũ eſt ut facile capi attonito morbo ualeãt: quo tempore morbi utriuſque confundi quoque notas ueri ſimile eſt. At quum ſoli uigent, neque alter alterum infi cit morbus, tunc comitialem nulla ſpirandi offenſa con ſequitur, qui ſi ſæuior fiat, eo caſu & ſpirandi difficulta tem contrahere facile poteſt, ac nihilominus tamen co mitialis nomine continetur, etſi minus ſincerus puruſq;. Hoc igitur modo Galeni locus quinto de locis affectis eſt accipiendus, ubi comitialem non purum illum atque ſincerum morbum, ſed quem aliæ quædam morbi alterius nempe attoniti notæ admixtæ adulterent, accipiebat, & quem ſuperiore libro propriis notis circumſcriptum definiebat. Dicet fortaſſe quiſpiam, comitialem caſum conuulſio quædam quum perpetuo ſequatur, quænam comitialem inter ueramq́ue conuulſionem erit differentia? (de eo enim comitiali caſu mihi ſermo eſt, qui primogenio, non de eo qui lege conſortii fieri ſolet, in quo per interualla quatitur animans) An quod & ſi Paulus comitialem propriamq́ue conuulſionem eandem eſſe uult, latius conuulſionis uocabulum ſumpſiſſe uidetur? quum uera & propria cõuulſio comitialis caſus nec eſſe nec dici poſsit? ea igitur ineſt differentia comitialẽ inter caſum uerãq; cõuulſionẽ, quod hic cũ cõuulſione, nẽpe motu cõuulſorio a natura, uera aũt cõuulſio præter naturã fieri ſolet: ſiquidẽ in uera conuulſione muſculorũ ligamẽta neruiq; uiolenter, neq; pro uolũtatis imperio, cerebri uero ſinus a natura retrahuntur, ut quod noxiũ in ipſis continetur, excernatur. Quod autem res ita habeat, ex eis etiã cõſtat comitialibus inuaſionibus, quas ulla abſque conuulſione fieri & Galenus & Auicennas memoriæ prodiderunt. Dices etiam nequid intactum omittatur, quum eadem propemodum comitialis, uertiginisq́ue cauſſa habeatur, eundem morbum utrunq; eſſe quis exiſtimabit? utriuſque enim inter alias pleraſque cauſſa eadem locuſq́; idem affectus habetur, obſtructio

nimirum

nimirum in cerebri finibus præſertim anterioribus facta ab humoribus frigidis craſsis ac lentis, eoſdemq́; lædentibus, ut cogi cōſtringiq́;, atque noxias materias expellere cogantur. Neque mehercule iniuria, quando affines iſtæ adeo ſunt affectiones, ut ambæ una eſſe uideantur: differunt tantum, quod leuior in uertigine, quàm in comitiali malo fit obſtructio, in quo omnes corporis partes conuelluntur: illam autem ob ſimilitudinem τὴν μικρὰν ἐπιληψίαν ueteres olim medici nuncuparunt. Hac igitur tanta illorum affinitate interdum factum eſt, ut inter medicos alioqui ſpectatæ uirtutis & exercitatiōis uiros ambigeretur utra eſſet affectio, an uertigo an comitialis: ita utriuſque caſus inuicem conueniunt. ſed hactenus iſta. Nunc quoniam quòd in principe maxime corporis parte, nempe cerebro, comitialis morbus fiat, dictum eſt, reliquum eſt ut oſtendatur an acutus ſit morbus an diutinus habeatur. quādo altera ex parte diutinus & propterea ſalubris exiſtimatur (nam ad ultimum uitæ diē ægrotantes plerunque comitatur) altera uero non acutus tantum, ideſt periculo obnoxius, ſed & breuis eſſe conſpicitur: quum crebræ adeo quandoque fiant acceſſiones, atque adeo uehementes, ut corpus uniuerſum cōuulſum breuiſsimo tempore pereat. Accedit his quod diuerſi diuerſa ſentiūt ac uolunt: Hippocrates enim diutinum; Celſus non, præterquàm quod longum eſſe, ad mortis uſque diem & uitæ nō periculoſum etiam eſſe uoluit. Galenus item longos inter morbos enumerat, eiuſq́; longi temporis initia eſſet dicit: cuiuſmodi & articularis morbus & coxendicum & renum dolores exiſtunt: Sed nec clarius ſexto aphoriſmorum libro dum
aphor. 77. aphoriſmum exponeret, Quibuſcunque uenæ ſectio aut purgatio cum medicamento conuenit: his uerbis. κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον αἵματος πτύσιν, ἐπιληψίαν, μελαγχολίαν, ἀποπληξίαν, καὶ ἄλλα τοιαῦτα χρόνια παθήδια τῆς εἰρημένης κενώσεως ἐπὶ πολλῶν ἀνθρώπων ἐπαύσαμεν. Ideſt. eodem modo ſanguinis ſputum comitialem morbum, atram bilem, atque apoplexiam, alioſque id genus diutinos affectus in complu-

ribus

ribus euacuatione iam dicta persanauimus. Liquet au-
tem, quòd qui diutini habētur, ea carent acutie, quā qui
breues sunt & acuti plurimum habere uidentur. Acu-
tus etiam ob id dicitur morbus, qui præterquàm quod
celeriter iudicatur statim etiam magnitudinem habet.
quinto tamen aphorismorū libro Galenus & Auicennas aphor. 30.
quarti Canonis prima parte comitialem acutū esse mor Trac. primo
bum uoluere: quorū alter, non acutū tantum, sed & per- cap. 4.
acutum esse, scriptum reliquit. Præterea, quum acutum
morbum sequatur febris acuta & continua, comitialis
uero atque attonitus morbi sine febre fiant, qui fieri po-
test ut inter acutos reponātur? ita enim sæpe morbi acu
tiem descripsit Galenus quū alibi, tū uel maxime in ter-
tio in prædictiones Hippocratis commētario, dum ait.
οὔσης καὶ ἄλλης οὐ σμικρᾶς ἀπορίας κατὰ τὸ σπέρμα. τὸ γὰρ ὀξὺ νό- aphor. 12.
σημα μετὰ μεγέθους τινὸς νοεῖται, καὶ συνεχείας πυρετοῦ. τὸ γάρ τοι
μὴ τοιοῦτον, εἴγε καὶ περὶ τὴν ιδ. ἡμέραν, ἢ καὶ θᾶττον λυθείη, τῆς αὐτῆς
προσηγορίας οὐκ ἀξιοῦμεν. Ideſt: quum alia præterea suboria
tur in hac re dubitatio non parua. etenim acutus mor-
bus magnitudine quadam intelligitur, & febris assiduita
te, quum quod minime tale repertum fuerit, etiam si die
bus finiat, quatuordecim, aut his etiam citius, eodem
non censeatur uocabulo. Quid igitur dices, in tanta au-
thorum uarietate sententiarum dicendum: An quod co
mitialis morbus & grauis, ut uocant, & debilis attoniti
exemplo, qui uero grauis acutus & propterea breuis exi
stit? & qui debilis, diutinus, atque ea ratione periculo
uacare creditur? Acutus igitur grauisque dicetur, si pau
cioribus atque iis percrebris accessionibus, & eorum
uehementia, quæ in eis contingunt, hominem perimit.
interdum enim ita crebræ fiunt comitiales accessiones,
ut, peracta uix prima, altera subsequatur, atque ideo iu-
gulant hominem: quemadmodum Paulus memoriæ pro
didit. illud uero plurimum pueris cōtingere solet. comi- lib. 3. c. pro-
tialis morbi huius generis meminit Hippocrates in con prio.
mētario de sacro morbo his ipsis uerbis. & quicunque
quidem parui pueri hoc malo capiuntur, ut plurimū pe-

 reunt,

reunt, ſi multus defluxus contingat, isq́ue humidus exiſtat: uenæ.n.tenues exiſtẽtes pituitã præ craſsitudine ac multitudine ſuſcipere nequeunt, ſed perfrigeratur, ac cõgelatur ſanguis, & ſic moriuntur. ſi uero modica exiſtẽs pituita in utraſq; uenas defluxerit, aut in alterius partis, ſuperuiuũt nota ex morbo impreſſa relicta. aut.n. os conuellitur, aut oculus, aut ceruix, aut manus, & reliqua. Diutinus uero propterea exiſtit, quia quod influit uenis, tenue eſt præ multitudĩe, & ſtatim ſuperatur a ſanguine, ac caleſcit: atq; ita finitur acceſsio: quæ poſt modũ eandẽ ob cauſſam redit. Qui igitur diutinus eſt, cũ periculo uacare perſpicuũ eſt: qui uero breuis, acutiẽ quandam habere illum conuenit; qua cito laborãtes interimat attoniti exemplo. Hoc igitur huius morbi genus audiebat Galenus; quo ſi mulier utero gerens caperetur; læthale ſibi eſſe. de eodem etiam & Auicennas loco ſupra commemorato ſentiebat: quod & Paulus clariſsime oſtendit; acutiſsimum enim fore interdum & tã crebris acceſsionibus, & eorum, quæ accidunt uehemẽtia: quamobrem ſtatim iugulare uoluit. De alio uero & Celſus, & Galenus meminerunt: qui etſi, longus eſt; quũ tamen penitus inſedit, quod ad difficultatẽ attinet, acuto par eſt. An etiam quod quantum attinet ad ſæuitiẽ inuaſionum breuis peracutuſq́;, quantum ad morbi cauſſam diutinus dici debet? Quod uero comitialis, atq; attonitus acuti habeantur morbi, quum tamen ſine febre conſpiciantur, nulli mirandum uideatur: quando Galenus pro authorũ diuerſitate ſentẽtiarũ diuerſis in locis diuerſas ſectatus fuerit opiniones. Quum enim in acutorum catalogum attonitum, comitialẽ rigorem, id genuſq́; alios ſine febre morbos recipit, Archigenis placitis adhæſit, quum uero illos tantum acutos eſſe dicit, qui cum febræ eaq́; continua ægrotos inuadunt, Hippocratem ſectatus eſt. Illud autem ex Galeni ipſius uerbis colligitur, dum in fine librorũ de diebus decretoriis ita ſcriptum reliquit. τοῦ γὰρ ὀξέος νοσήματος, ὡς ὁ μὲν Ἀρχιγένης ὑπεγράφετο τοῦ διὰ συντόμων κινδυνώδους, ὡς δ' ἱπποκράτους ἔλεγε τοῦ μετὰ

πυρετοῦ συνεχοῦς γιγνομένου, συμβεβηκὸς ἐξ ἀνάγκης ἔσαι τὸ ταχέως κρίνεσθαι. κατὰ μὲν γὰρ τὸ τῆς κινήσεως εἶδος ὀξὺ προσηγόρευται. Quū enim morbi acuti, quēadmodum ſane Archigenes deſcribebat, ii ſint, qui periculum breui tēporis mora afferūt, ut autem Hippocrates dicebat, qui febre non deſtituuntur, inde accidat neceſſe eſt, ut cito quoque iudicentur: acutum enim ob motus modum ita uocatum fuiſſe constat. Quoniam uero rari ſunt acuti morbi, quibus febres nō adſint, quales iam commemorati, attonitus inquam, comitialis, tetanus, rigorem uocant, cholera, atque cæteri id genus morbi exiſtunt, factum eſt, ut qui plurimum eueniunt, de iis in uniuerſum authores pronūcient, proptereaq; acutos morbos febrem inſequi continuam dicant, quod ſcilicet non temere multi reperiantur, qui abſque febre infeſti ſint. Vt tamen terminum quendam acuto, diutinoque conſtituamus, ea ſunt inſpicienda, quæ Celſus ipſe perſcribit. ſiquidem eouſque acutus fuerit morbus, donec quatuordecim dies tranſierint, quos ubi exceſsit, acuti uim depoſuit: at ſi manet, curandus iam ut longus eſt. Cæterum dicet fortaſſe quiſpiam Auicennæ uerba dubitationem ea ratione afferre, quod comitialis morbus longus quum ſit, atq; omnis, qui cunque is fuerit, affectus quatuor habeat tempora, cum, qui diutinus ſit, longiora quod habeat, quam qui breuis fuerit, neceſſe eſt. Quæ res ex Galeno etiam patet, qui dum primo de criſibus libro uniuerſalia morborum tēpora ex ipſorum conſtitutionibus & forma docere nos inſtituit, comitiale malum longi temporis initium habere commemorat his uerbis. καῦσος μὲν γὰρ καὶ πλευρίτης, καὶ περιπνευμονία, βραχυχρόνιον ἔχουσι τὴν ἀρχὴν: ἐπιλεψίαι δὲ, καὶ ἰσχιάδες, καὶ ἀρθρίτιδες, καὶ νευφρίτιδες πολυχρόνιον. ideſt. Nam febris ardens, & lateralis morbus, & inflammatio pulmonis breuis temporis principium habent: morbus autem comitialis, & articularis, & coxendicum & renū dolores longi temporis. Auicennas autem principium in omni morbo inueniri, uerum quandoq; occultari uoluit, ueluti in febre ſynocho nuncupata, comitiali, & attoni-

lib.3. c. 23.

1.4.tr.1.c. 3.

cap.4.

to. quæ res & rationi & authoritati aduersari uidetur: quando eius initium usque adeo longum est, ut nõ occultũ modo esse nequeat, sed omnibus potius innotescat. An quòd non eadẽ dicunt authores isti, proptereaq; nõ inuicem pugnãt? siquidem alter de uniuerso totius morbi principio, alter de particulari nimirum accessionis initio loquitur. cui enim notum est totum accessionis in comitiali morbo principium? siquidem, quum incipit accessio, ita statim subit incrementum, ut in consistentia esse uideatur, ueluti in synochi febris omnibus differentiis nos licet intueri: non est tamen ob id dicendum carere principio. quatenus enim ex artis medicæ usu existit, principio caret comitialis affectus, licet re uera habeat. Galenus uero totius & uniuersalis morbi principium accipiebat, quod diutissime perdurat. Dices Auicennam non de particularis accessionis, sed uniuersalis morbi principio loqui. An etiã quòd & si uterq; uniuersale principiũ audit, & profecto principiũ habet comitialis affectus: nihilo tamẽ minus quatenus ex usu medico fuerit, habere nõ uidetur? dum enim incipit, per accessiones incipere uidetur: qui etsi per totum uitæ spatium hominem per interualla distorqueat, non tamẽ toto hoc uitæ cursu, quo quis eo laborat, eius tẽpora metiri ualemus. quandoquidem accessiones interdum uehementiores, deterioresq;, imbecilliores nõnunquam, & minori cum periculo, cum ordine quãdoque aliquo, exordinatæ persæpe fieri solent, prout melius, deteriusue ægrotus habet circa uictus tum rationem, tum ambientis nos aeris statum, tum locorum, tum temporum mutationem. quibus omnibus fit, ut morbi huius tempora exacte cognosci nequeant. quandoque enim incremẽtum suscipere, in statu quandoque esse, proptereaq; extremos labores afferre, sæpissime inclinationem ostendere ob rationes commemoratas morbus uidetur, nullumq; aliud huius morbi tempus nisi principium, illudque non nisi eo pacto, quo hic docet Auicẽnas, nimirum primæ accessionis initium possumus coniectari. usq; adeo

deo enim breue sese nobis ostendit, uti uix percipiatur. Neque mehercule quisquam est, qui huius affectionis initium totum uere cognoscat, incrementumue, aut consistentiam, aut demum inclinationem, nisi fortasse quum iam ætatem fuerit morbus adeptus, & confirmatus, eum iam principium excessisse, incremētumque suscepisse, aut etiam ad consistentiam peruenisse dicamus. Quòd autem ita sese res habeat, clarissime Galenus ipse in cōmentario de totius morbi temporibus his ipsis uerbis perscribit. Cognoscere autem, inquit, morbos interdum aperte licet, aliquando obscure, uel etiam prorsus diu ignorantur. hinc quidam statim ubi uigent, inuadere uidentur, quod ex eorum numero est, quæ fieri nequeunt. Neque enim synochos febris protinus a uigore quandoque inuasit, uerum a primo insultu usque ad perfectissimum uigorem horis uel quatuor uel tribus, quod minimum est, peruenit: inde prorsus æqualis sibi permanens continue ad iudicium properat. Sed neque repente adeo inuadentem uigentem ἀποπληξίαν dixeris, quoniam tale exacte non est. sed breui tēpore, & principium, & ascensum percurrit, non tamen caret principio, neque statim perfectissime inuadit, quemadmodum nec comitialis morbi accessio. Nullus siquidem tam subito symptomate capitur, ut ii, quibus ceruix detruncatur, quanquam horum quoque sectio primum aliquod tempus habet, & secundum, & tertium, & quartum, ut si chirurgus rem quāpiam diuidat. At enim si uis, concedamus sine temporis spatio comitialem, attonitamque concidentiam fieri, κατάπτωσιν uocant, hæc autem cataptosis symptoma eorum est, morbus autem non est, uerum corporis aliqua dispositio dicenda: sicut ostensum est. etsi uel genitæ ipsius, uel increscentis notam nullam habeamus. An etiam quod quum totam hominis uitam inuadat, eius tempora pro ætatum ægrotantium uarietate metiemur, & diuersa esse dicemus? principiumque illud ætatis tempus nūcupabitur quod ab infantium ad puberum ætatem, nimirum ad decimum-

cimumquartum annum uſque pertingit, incrementum, quod ab hoc tēpore ad uigeſimumquintum annum, quo potiſsimum morbi huius mutationes fieri uel ad bonum malumue creduntur: quo etiam tempore ſi non mutatur, præterquam quòd ad finem uſque uitæ ægrotus perſequitur, plurimum etiam ultra hoc tempus cōmoriuntur. atque hinc rectæ conſiſtentiæ ratio colligitur: ſiquidē a uigeſimoquinto ad trigeſimumquintum uſque protrahi iudicanda eſt, quod tempus iuuentuti adſcribitur. quæ quum minus hoc malo affici deberet, biliosa quum ſit, & nihilominus afficiatur, tunc maius periculum hac ætate conſtantibus imminet: quando non abſq; cauſſa, eaq́ue ingenti fieri exiſtimatur. Huius igitur morbi conſiſtentia huic ætati, cæteris uero ſequentibus inclinatio adſcribetur, nempe conſtitutæ primoq́ue ſenio. Quod autem res ita habeat, uel Hippocratis teſtimonio comprobatur, qui in commētario de ſacro morbo hæc ſcripta reliquit. Senes uero non occidit, ſi accedat, neque diſtorquet, nā & uenæ ſunt cauæ, & ſanguine calido refertæ: quapropter neque ſuperare poteſt pituita, neque perfrigerare ſanguinem, uti congelet ipſum: ſed ipſa ſuperatur, ac ſanguini commiſcetur, atque ſic uenæ aerē ſuſcipiunt, & ſapientia contingit, ſignaq́ue prædicta minus inuadunt propter fortitudinem. Quòd uero per ſenes his ætatibus conſtitutos Hippocrates intelligat, uel eo conſtat, quod ſupra puerorum, ſenum ſtatim poſtea commeminit. propterea quum dicat in his ætatibus pituitam a ſanguine uinci, neceſſario illas intelligit, non ultimum ſenium, in quo pituita excrēmentitia plurimū abundat: cui ſi morbus hic accedat, propterea affectos occidit, aut leuiter ſideratos efficit: quia uenæ ipſis ſunt euacuatæ, & ſanguis modicus eſt, & tenuis, & aquoſus, quemadmodum idem author eodem in loco abunde declarauit. Huic etiam Paulus ſuffragatur. qui ſenes minime decrepitosq́ue hoc malo capi ſcribit. His igitur omnibus fit, ut præ caloris innati inopia, non tantum ob affectum, quo correpti uidentur, ſeniores moriantur, propterea

ptereaque

ptereaq́ue morbi consistentiam in hac ultima ætate reponendam non esse perspicuum est. Verũ hactenus ista. Nũc an omnes ætates comitiali malo & quæ quibus magis minusue infestentur, deinceps dicendum uidetur. Cõmuniter igitur hæc affectio frequens est in pueris, & magis eo tempore, quo dentium natiuitates habentur. id quod Hippocrates in commentario de Aere, aquis & locis confirmat: dum conuulsiones inquit, & anhelationes pueris contingere, quæ morbus puerorum, & sacer esse putantur: quemadmodum & Aristoteles libro de somno ac uigilia scriptum reliquit. In eo uero qui de sacro morbo Hippocrati adscribitur, non pueris tantum, sed & fœtu adhuc in utero existente fieri uoluit, quo etiam in loco morbum hunc ait post uigesimumquintum annum non amplius homines corripere, præterquam paucos, aut nullum, nisi a puero fuerit connutritus. Tertio uero aphorismorum libro iuuenibus cõtingere scribit: quem Paulus secutus, occupat, inquit, hoc morbi genus maxime pueros, eosq́ue adhuc paruulos, deinde adolescentes ac iuuenes, minime senes, ac decrepitos. Quæ res quomodo habeat, perscrutanda est. quum mirandũ omnino uideatur, quomodo Hippocrates comitiale malum iuuenibus obuenire uoluerit, quando alibi non modo quòd puerorum familiare fuerit, uerum quòd etiam ex hac caussa puerilis morbus nuncupatur, & quòd ætatis mutatione curatur. Sed & in quibusdam iuuenibus comitiale malum fieri, quod prius non erat, nemo non nouit, propter uitæ rationem haud probe seruatã, quã in iis, quæ desumuntur, admittunt, & in aliis, quæ ab ipsis aguntur, operibus, & quòd humi decumbunt, soliq; sese exponunt, & imbribus, atque id genus aliis per multis. Cæterum hi morbi non multi sunt: quamobrem & & propter hæc talia iuuenes ex accidente ægrotabunt, non primum, neque ætatis ratione. Sed & alius superest scrupus, siquidem Hippocrates secundo aphorismorum libro, Quicunque inquit iuuenes comitiali morbo laborant, mutatione maxime ætatis, & temporum, & locorum,

corum, & uictuum liberantur. ubi iuuenes comitialibus corripi ait, mutationeque tum ætatis, tum temporum, tum locorum, tum uictus liberari. In commentario uero de sacro morbo affectionem hanc inquit post uigesimum annum non amplius homines detinere, nisi a pueris fuerit affectio connutrita. Constat autem iuuenum ætatem a uigesimoquinto anno ad trigesimum, uel trigesimumquintum perdurare in qua non nisi ex accidente, rarissimeque morbum hunc fieri contingit. quo modo igitur iuuenes ait hoc morbo corripi? aut quo modo post uigesimum annum nullum hoc morbo affici, nisi a puero inceperit? Quinto præterea aphorismorum libro, τὰ ἐπιληπτικὰ inquit ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἴσχει, ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, τουτέοισι τὰ πολλὰ ξυναποθνήσκει. idest: Quibuscunque morbi comitiales fiunt ante pubertatem mutationem accipiunt. quibuscunq; uero uigesimoquinto anno, commoriuntur. Si igitur iuuentutis ætas a uigesimoquinto ad trigesimumquintum annum perdurat, atque hoc loco dicat, quòd qui uigesimoquinto anno comitialiter laborant, commoriuntur, non iuuenes igitur ætatis mutatione hoc malo liberantur: quum qui uigesimum annum prægressi fuerint, hoc morbo non capiuntur, nisi a puero fortasse fuerit connutritus, & quæ in uigesimoquinto anno fiunt, hæc mala hominem perimunt. An quod interpretis id potius, quàm Hippocratis uitiũ existit? siquidem græce ita ait. τῶν ἐπιληπτικῶν τοῖσι νέοισιν ἀπαλλαγὴν αἱ μεταβολαὶ μάλιστα τῆς ἡλικίης, καὶ τῶν ὡρέων, καὶ τῶν τόπων, καὶ τῶν βίων ποιέουσι. quo loco uerbum νέοισιν Leonicenus, uir alioqui eruditissimus, & græcis literis & latinis, scriptorumque ueterum literate peritus iuuenibus est interpretatus, quum potius, uel nouis, idest nuper natis, nempe infantibus, aut etiã ephœbis interpretari satius fuisset: illud enim inter alia νέος significat Hesychio authore. atque hoc pacto Hippocrates sibi constaret, resque ipsa optime haberet: alioqui difficile admodum est hominem tutari, quum alibi comitiales ante pubertatẽ factos ætatis mutatione &

ne & ipsos mutari dixerit: qui si uigesimoquinto anno, nempe in iuuentute fiant, curari non possunt. Quòd autem uera sit ea lectio, in qua non iuuenes, sed infantes aut pueri ephœbiue legitur, Aristoteles ostendit, qui in problematis quærens cur animantium uel uni homini, uel maxime oculi deprauantur, ita græce ait. Διὰ τὶ τῶν ζώων ἄνθρωπος ἢ μόνον, ἢ μάλιστα διαστρέφεται, ἢ ὅτι ἢ μόνον, ἢ μάλιστα ἐπίληπτον ἐν τῇ νεότητι γίνεται. idest. An quòd homo uel solus, uel maxime morbo capitur comitiali in puerili ætate: Illud idem etiam probat Leonicenus. hic enim Galeni uerba libro aphorismorum quinto interpretatus, in quibus huius sententiæ meminit, ita conuertit. Quod igitur in alia parte aphorismorum dicit, Quicunque morbo comitiali laborãt, si pueri fuerint, mutatione maxime ætatis, & regionum, & uictus, & locorum liberantur. uerba enim si pueri fuerint, omnem auferre ambiguitatem uidentur. Sexto quinetiam morborum uulgarium libro & Hippocrates, & Galenus comitiales infantium morbos una cum pubertate quandoque mutationes habere uoluerunt. quo loco notandus est Hippocrates, qui eos infantes nuncupauit, qui ad pubertatem usque processerunt, non eos tantum qui modo nati essent, uel qui ad quintum sextumue annum peruenissent. Sed & clarius Oribasius dum aphorismum quinquagesimum exponit, iuuenes, inquit, Hippocrates appellat a decimoquarto anno ad uigesimum usque tertium, non autem uigesimumquintum attigerint. Puerilis igitur ætas, & adolescentia, & quæ pubertatis nomine nuncupatur, comitialibus afficietur, iuuenilis uero non nisi ex accidente. An uero & sequentes ætates hoc malo capiantur, idem author per ea uerba declarat: quicunque uero uigesimoquinto anno commoriuntur, non mehercule quòd statim post uigesimumquintum annum cõmoriantur, sed quòd morbus ita diutinus & familiaris sequentibus fit ætatibus, ut cum eo, qui ita laborant, commoriantur. Caussam autem cur hoc fiat, ostendit Hippocrates in cõmentario de sacro morbo his ipsis uerbis. Quum enim

inquit, ætatem adeptus fuerit morbus, non amplius curabilis est: cerebrum enim eroditur a pituita, & colliquatur: id uero quod colliquatur, aqua fit, & foris cerebrum ambit, & circum alluit: & propterea frequentius, ac facilius morbo hoc capiuntur. illud autem mirandum fortasse uideatur: & enim si res ita habet, Hippocrates sibi ipsi dissentiet plurimum locis iam commemoratis, & sexto morborum uulgarium libro: quo loco morbos connutritos in senecta finiri, & quod magis est, per concoctionem, & resolutionem, & rarefactionem discuti scriptum reliquit his ipsis uerbis. Morbi connutriti in senecta relinquũt & per concoctionem, & solutionem & rarefactionem. Quòd autem comitialis morbus diutinus sit & connutritus, quiuis nouit. (ita enim eos appellauit morbos Hippocrates, qui longo tempore hominum corpora infestant.) An quod non de omnibus cõnutritis morbis Hippocratis sermo existit? neq; enim id contingere cernitur: neque ipsum latet clare in aphorismis dicentem. Senes quàm iuuenes plerũque rarius ægrotant, quicunque uero ipsis diutini morbi contingunt, sæpius commoriuntur. Quum igitur in hoc sermone, sæpius, addiderit, neq; in uniuersum protulerit quosq; scilicet diuturnos morbos sæpius commori asserens, aperte indicat sese non nullos ante senum mortem dissolui cognoscere. Qui nam igitur sint isti, quemadmodum etiã qui nam ante mortem non abeuntes, in aphorismis ipse patefecit sic scribens. Raucedines atque grauedines in ualde senibus non concoquuntur. Quum igitur hic frigidorum morborum meminerit, qui in senecta non cõcoquuntur, quos inter comitialis & attonitus numerantur: constat & ipsum credere quosdam ex calidis in seniori ætate posse dissolui, etsi rari admodum sint: ut calidæ cephaleæ, eterocranii nuncupati dolores, & renũ calidi affectus, & articulares dolores, quicunque ex ualde calida caussa oriuntur. Verus igitur est Hippocratis sermo de frigidis morbis nuncupatis, qui neque concoqui, neque dissolui, neque per rarefactionem discuti in senectute

ctûte poſſunt. Inter omneis uero ætates puerilis maxime huic malo obnoxia eſt: a quo etiam ut plurimum cō moritur. huic enim ob naturalem intemperiem fieri ſolet, quum abunde cerebrum humidum fuerit, aut ob errores: quod medicam alioqui curationem expetit. Porro quum ex humiditate ortum habet, ſtatim infantes arripit: deſinit uero ætatis mutatione, uel nullo noſtro negotio, ueluti poſtea dicetur. Et proinde quibus pueris non ſtatim prima ætate dum infantes ſunt, ſed eius progreſſu ſuboritur, perſpicuum eſt aut ex prauo uictu, aut ex externa quapiam cauſſa originem habuiſſe: in quibus non eſt expectādа mutatio, ſed potius expedit, quæ iam in ipſis facta eſt, curare morboſam affectionem. His igitur ſi diutius morbus protrahatur, eos ad ultimum uitæ diem comitatur. ſenes uero non occidit affectus, ſi accedat, neque diſtorquet. At uero antiquiſsimis ſi accidat, ipſos occidit, aut leuiter ſideratos efficit. quemadmodum idem author eodem in loco memoriæ prodidit. Clariſsime uero ſecundo Prorrhetici libro illud idem oſtendit per hæc uerba. Ex his porro, qui a ſacro morbo capiuntur, difficillime quidem euadunt, quibus a puero cōtingit morbus, & ſimul ad uirilem ætatem peruenit: deinde hi quibus corpore in uigore ætatis conſtituto factus eſt, & fuerit a uigintiquinque annis uſq; ad annum quadrageſimumquintum. Poſt hos autem, quibus factus fuerit morbus, nullam ſignificationem præbens ex qua corporis parte initium ſumat. Et ſtatim poſtea. Quicunq;, inquit, ſenes apprehendi incipiunt, maxime moriuntur: etſi non pereunt, ſtatim, celerrimeque per ſeſe liberantur: a medicis autem minime opem ferunt. Verum enim uero dubitationem inferunt Hippocratis uerba: quando ſeniores dicunt, nempe decrepitos hoc malo affici: quibus tamen Paulus refragatur, hoc morbi genus dicens ſeniores minime atq; decrepitos occupare. An quod Hippocrates nulli diſſentit? neque enim a Paulo. ſed ambo idem dicunt: Non enim decrepitorum comitiale malum eſſe, uerum ſi externa interdum quapiam

caussa decrepiti comitialiter laborant, eos maxime cõmori ait. Paulus uero, ut qui proprium ætatum morbum referebat, senes minime atque decrepitos occupare comitiale hoc malum memoriæ prodidit. Ac de ætatibus quidem satis dictum uidetur: deinceps ad temperamenta transeamus, nimirum quæ huic morbo obnoxia, sexusque fuerint. Hæc autem non admodum cognitu difficilia fuerint ei, qui morbi huius materiẽ abũde cognouerit. quum enim duæ, uti iam præceptũ fuit, materiales ut uocant, caussæ habeantur, nempe pituitosus, nigerque humor, propterea pituitosa melãcholicaque temperamenta hoc malo capientur: minime uero biliosa, ueluti neque sanguinea, nisi fortasse lege quadam consortii a stomacho, aut alia quauis corporis parte afficiantur: quemadmodum fuit antea demonstratũ: homines tamen magis, quam fœminas illud mali occupare & Celsus & experientia nos cõmonent. cur autẽ hoc ita habeat, ea ni fallor, caussa reddi potest, quam Aristoteles in commentario de somno & uigilia retulit. angustia nempe, & tenuitas uenarum, quæ circa cerebrum sunt: siquidem destillationum caussas ostendens, quæ a cerebro plerunque fiunt, pluuiæ exemplo, ita inquit.

cap. 6.

ὥσπερ οὖν τὸ ἀπατμίζον ὑγρὸν ὑπὸ τῆς τοῦ θερμότητος, ὅταν ἔλθῃ εἰς τὸν ἄνω τόπον διὰ τὴν ψυχρότητα αὐτοῦ καταψύχεται, καὶ συστὰν καταφέρεται γενόμενον πάλιν ὕδωρ, οὕτως ἐν τῇ ἀναφορᾷ τοῦ θερμοῦ τῇ πρὸς τὸν ἐγκέφαλον ἡ μὲν περισσωματικὴ ἀναθυμίασις, φλέγμα συνίσταται, διό καὶ οἱ κατάῤῥοι φαίνονται γιγνόμενοι ἐκ τῆς κεφαλῆς. ἡ δὲ τρόφιμος καὶ μὴ νοσώδης καταφέρεται συνισταμένη καὶ καταψύχει τὸ θερμόν. πρὸς δὲ τὸ καταψύχεσθαι, καὶ μὴ δέχεσθαι ῥαδίως τὴν ἀναθυμίασιν συμβάλλεται. καὶ ἡ λεπτότης καὶ ἡ στενότης τῶν περὶ τὸν ἐγκέφαλον φλεβῶν. i.

Quemadmodum igitur a solis calore exhalãs humidum quum ad superiorem peruenit locum illius algore frigescit, compactumq; deorsum fertur, denuoq; fit aqua: ita in calidi a sensu fœculenta quædam exhalatio in pituitam coalescit. quamobrem destillationes fieri animaduertũtur. altrix autem & non morbosa concreta inferne delabitur, calidumq; refrigerat. ut autem refrigerari possit,

& non

& non facile exhalationem recipiat, nonnihil ſane confert tenuitas & anguſtia illarum, quæ circa cerebrũ ſunt, uenularum. Quibus ex uerbis potiſsimum ultimis facile cauſſa deprehenditur, propter quam mulieres uiris minus comitiali morbo laborant. ſi quidem tenuitas & anguſtia uenarum cerebri facit, ut uapores humoresq; minus ſpiritus meatum in cerebri ſinibus obſtruant. Verum illud intereſt quòd quæ fœminæ hoc malo capiũtur, magis offenduntur. Quæ res ex Raze Auicennaq; patet: quorum uterque mulierum comitiale malum infantiumq;, atque omnium, quorum paucus eſt ſanguis, & quibus uenæ arctæ exiſtunt, magis perniciosum eſſe memoriæ prodiderunt. ſimili profecto ratione, qua uſus eſt Ariſtoteles in problematis. hic enim quærens cur eſt, quòd per æſtatem magis aduerſa ualetudine laboretur, per hyemem uero magis, qui laborant, emoriantur: calorem ait qui per hyemem intus ob corporum denſitatem coercetur, parum adiuuare, nec laborem operum qui amplius per id tempus ſuſcipitur, excrementa humorum poſſe concoquere, ideo ualidam eſſe morbi originem neceſſe eſſe: quod quum ita ſit, pernicioſum morbum urgere rationi conſentaneũ eſſe. Quum igitur mulierum temperatura hyemis temperiei perſimilis, frigida inquã & humida fuerit, eaque ex Celſo magis huius mali cauſsis reſiſtat, ſi quando tamen eodem corripiantur mulieres affectu, ingentes eiuſce mali cauſſas iis adeſſe ſuſpicandum eſt, propterea que periculoſiorem morbũ producere, id quod uiris uſu uenire non ſolet, ob eorũ temperaturam æſtate quamſimillimam, calidam nimirũ ac ſiccam, corporaque eorũ rariora & magis reſolutioni obnoxia. Fœminæ igitur uiris minus comitiali malo capientur, ſi quando tamen ipſas inuadat, magis offendi perſpicuum eſt. explicatis igitur his, quæ proxime dicta ſunt, nunc ad reliqua progrediar, meque ad meum munus penſumque reuocabo, nimirum quibus anni tẽporibus, cœlique ſtatu comitiales conuulſiones potiſsimum fiant. Inter omnia igitur anni tempora, in quibus *cap.8.*
comitia-

comitialis morbus grassari potest & solet, Autumnum
lib. 3. aphor. 20. & 22. ac uer maxime numerari author est Hippocrates, in Au
tumnoque in primis hac ratione fieri contendit, quòd
inæqualis maxime quum sit ob subitam ad cõtraria mu-
tationem facit, ut iis qui naturam habent ad hunc affe-
ctum procliuem, eo maxime capiantur. Nam fere meri
dianis temporibus calor nocturnis atque matutinis si-
mulq́ue etiam uespertinis frigus est. nihil autem adeo co
mitiales accessiones, quam eiusmodi uarietas temporis
aptum est producere. Accedit etiam quod autumnus
morbis, qui ex corruptione fiunt, adsimilis est, & propte
rea, qui in autumno comitialis morbus fit, ex humorum
corruptione plurimum prouenire uerisimile est, Gale-
no atque Auicenna authoribus. Cur autem uere, quod
1. aphor. 17. prima 3. t. 5. c. 10. temperatissimum saluberrimumq́; anni temporum ha-
betur, fieri etiam dicatur, mirandum omnino uideri non
debet. Nam illud ipsum plane uere cõtingit, quod in exer
citatione fieri uidemus. Etenim hæ quoque salubres
sunt, uerum si hominem pituita refertum uolueris ad
exercitationem perducere, aut ei morbum comitialem,
aut attonitum efficies exercitatione: aut si hæc mala nõ
eueniant, periculũ imminet ne disrupto aliquo in pulmo
ne uase, in morbum incidat curatu contumacem. nam
tempus id periclitatur, ne proxime accedat ad pletho-
ricam dispositionem propter humorum, qui hyberno tẽ
poris frigore concreuere, fusionẽ. Autumno igitur pri-
mum ob humorum corruptionem, uere postmodum ob
eorum fusionem fieri par est. An uero & aliis anni tem-
poribus, nempe hyeme, aut etiam æstate fiat, age, si pla-
aphor. 23. cet, uideamus. Constat sane hyeme pituitam progigni,
proptereaq́ue in ea uertigines & attonitos fieri morbos
Hippocrati placuit. Quod autem uertigines comitialẽ
præeant morbum, Galenus eodem in loco, ipsumq́ue se-
quutus Auicennas testãtur, quo loco Galenus inquit. De
uertiginibus autem quid attinet dicere, quæ proximæ
sunt morbis comitialibus, & his quos attonitos uocãt?
Hyeme igitur comitialis fiet, minus tamen hoc tempo-
re,

re, ueluti adhuc minus æstate. Qua uero temporum cō stitutione ac cæli statu, ex tertio colligitur aphorismorū ubi ait Hippocrates. Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται, πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες, καὶ ἐπίληπτοι, καὶ ἀπόπληκτοι. idest. In pluuiarum multitudine magna ex parte fieri febres longas comitiales & attonitos. quum enim comitialis ex pituitoso progignatur humore, atque in pluuiarum multitudine frigidiores & magis pituitosi fiant humores, nil obstat in tali temporum constitutione, nempe frigida & humida, aut etiam calida & humida hoc malum procreari, procreatumque augeri, quam rem clarissime in cōmentario de sacro morbo ostendit Hippocrates, nam scripsit his ipsis uerbis. In quo uero a puero augumentum cepit, & cōnutritus est, in eo per consuetudinem facit, ut in mutationibus uentorum patiatur, & ut plurimum sacro morbo capiatur, præcipue australi atque humida aeris constitutione, & liberatio difficulter contingit. Cerebrum enim humidius quàm ex natura fit, & præ pituita inundat, uti defluxiones quidem frequentiores fiant, non amplius autem possit pituita excerni, neque cerebrū reficcari, sed porrigatur, & humidum existit. Paulo uero postea, cæterum ait in mutationibus uentorum propterea sacro morbo corripi censeo, maxime quidem austrinis, postea uero etiam aquiloniis, deinde etiam reliquis uentis. hi autem sunt qui ualidissimi ex ipsis existunt, & interse tum statione tum uiribus maxime contrarii. Etenim Aquilo cō pingit aerem, & turbidum ac nebulosum excernit, & illustriorem pellucidum ac efficit. eodem modo & alii uenti omnes ex mari & aliis aquis proficiscentes: ex omnibus enim rebus, atque adeo ex ipsis hominibus humiditatem ac tenebrositatem excernunt. Quapropter saluberrimus omnium uentorum Aquilo existit. Auster autem contraria huic operatur: primum enim incipit aerē compactum liquare ac diffundere: quapropter etiam nō magnus statim spirat, sed primum lenis ac lentus est, quoniam aerē statim superare non potest, qui prius densus

aphor. 16.

ſus eſt & compactus, ſed temporis progreſſu ipſum diſſoluit. Idem porro hoc etiam operatur in terram, mare, fluuiosq́ue ac fontes & puteos, & quæ ex terra naſcuntur, & quibus humor ineſt. Eſt autē in omni in alio plus in alio minus. omnia autem hæc uentum hunc ſentiunt, & ex ſplēdidis tenebroſa fiunt, & ex frigidis calida, & ex ſiccis humida, & quæcunque in domibus uaſa iuxta terram ſunt cum uino aut alio quopiam liquore, ea omnia auſtrum ſentiunt, & formam in aliam ſpeciem tranſmutant. Solem uero & Lunam & ſidera multo hebetiora, quàm ex natura ſunt, reddit. Quum igitur his etiam, quæ adeo magna ſunt & ualida, in tantum dominetur, & corpus ſentire faciat, ut ex horum uentorum alterationibus tranſmutetur, neceſſe eſt ab auſtris quidem ſolui ac humectari cerebrum, & uenas laxiores reddi: ab aquiloniis uero flatibus quod ſaniſsimum eſt in cerebro compingi: quod uero morboſiſsimum ac humidiſsimum eſt excerni ac forinſecus circum alluere: atq; ita deffluxus in horum uentorum mutationibus ſuccedere. Hoc modo morbus hic fit & floret tum ab accedentibus, tū a decedentibus. Huc etiam ſpectat, quod ait Auicennas, ſeptētrionalibus comitiale malū minime obuenire, quia ſint introrſum ſani, & calore exuperāti. quòd ſi eueniat, atrox eſſe: quia cauſſa ſit præpotens. Hæc igitur omnia huc tibi relata ſunt, ut uideres quāti ſit faciēdus cœli ſtatus in morbis tū cognoſcendis, tū ēt curādis. de quo per multa idē author in cōmentario de aere, aquis, & locis diſſeruit. Nunc, ut inſtituimus, proficiſci ordine ad reliqua pergamus, nimirū an cæteræ præter hominē animātes comitiali morbo capiantur, & quæ, & an hæreditarius morbus uideatur, et ſit. Multas igitur animātes hoc malo obnoxias eſſe nemo non probat: an uero omnes non item. Ariſtoteles enim hominem uel ſolum, uel maxime hoc morbo capi in puerili ætate ſolere ſcriptū reliquit. Hippocrates uero in cōmētario de ſacro morbo oues capraſq́ue comitiale malum ſentire in primiſq; capras ait. dum enim affectionem hanc ex calida potiſsimum

cap. 9.

mum atque humida aeris intemperie fieri docet, illud ouium exemplo caprarumque ostendit his uerbis. Cognouerit autem hoc ipsum quis maxime ex ouibus hoc malo captis, & præsertim capris: hæ nãque frequentissime hoc morbo corripiuntur, si enim caput ipsorum dissecueris, cerebrum reperies humidum esse, ac sudore refertum, & male olens. sic uero res sese habet & in homine. Hunc sequutus Auicēnas uidetur, sed & clarius Zoar arabs humiditatem inquit hanc oriri in anteriori parte cerebri. ita enim scribit. Scias quòd humiditas subtilis, quæ oritur in cellula anteriori cerebri, & circa ipsum est immensi fœtoris, & ex illo intellectus perturbatur, & nõ potest infirmus caput suum sustinere, & nõ loquitur nisi cum difficultate magna: & quando interrogatur de aliquo, tarde ac pigre respondet, & cum perturbatione, & pro maiori parte nõ intelligitur, & est absque intellectu. Et ego meo tempore uidi quendam cui superuenit hæc ægritudo, & nulla medicina ei prodesse potuit, & mortuus fuit inde. & hæc ægritudo sæpe accidit ouibus, & illa ouis quæ habet hanc ægritudinem a pastoribus dicitur Matronia. Aristoteles uero oues inquit equosque iisdem fere morbis corripi, quot & quibus homines capiuntur. Magister tamen olim meus Ioan. Baptista Theodosius oues hoc morbo non tamen omneis, sed iuniores tantum capi dictitabat, seseque per multa tum iuniorum tum antiquiorum ouium capita secuisse, atque in iuniorum tantum syncipite cauitatem quandam reperiisse, in qua gallinaceum ouum abscondi, facile potuisset aqua purissima quodam cum lentore oppletam, cerebriq; menynges eo in loco liuentes uidisse. dicebat itẽ, oues dum morbo illo caperentur ingyrum uolui plures per gyros, tandemque concidere nec posse resurgere, seque ipsas a grege separari, neq; gregatim, ut aliæ, uerũ ab aliis seorsum per lapidis iactum pascere. eandem præterea cauitatem aqua plenam duobus in hominibus uidisse commemorabat. Idem & Plutarchus rerum natura haud quaquam imperitus capram scilicet præter cæte-

Io. Baptista theodosius

ras animantes comitiali morbi tentari refert: propterea que ueteres ſacerdotes ea, uehementer ut morbida abſtinuiſſe, quando guſtantibus, aut tangentibus modo aliquid morbi eius affricetur. cuius cauſſam afferũt meatuum anguſtiam, quibus obſeptis ſæpiſsime includatur ſpiritus: quod arguat uocis tenuitas. Nam qui eo affectionis genere tentantur, ſimilem capellæ uocem edunt. Cæterum non ouibus tantum capriſque, uerum etiam iumentis omnibus malum hoc, aut quippiam huic perſimile lethale tamen obuenire, nempe ex Rhododendri cibo, quum permulti inprimiſque Plinius, tum uel maxime Strabo memoriæ prodiderunt. hic enim clarius oſtendit his uerbis. ἦν δὲ τι ὅμοιον τῇ δαφνῃ φυτὸν, ὅυ τὸ γευσάμενον τῶν ἱποζπυγίων ἀπέθνησκε μετὰ ἐπιληψίας καὶ ἀφροῦ. ideſt. Erat arbor lauro ſimilis, qua guſtata iumenta omnia cum ſpuma in morem comitialis mali emoriebantur. id quod & Alexandro macedonum regi res in India gerẽti conſtitit. Solæ præterea auium coturnices hoc malum patiuntur Plinio authore, cauſſam ipſe affert his uerbis. Coturnicibus ueneni ſemen gratiſsimus eſt cibus, quã ob cauſſam eas damnauere menſæ, ſimulque comitialẽ propter morbum deſpui ſuetum, quem ſolæ animãtium ſentiunt præter hominem eadem fere Iulius Solinus in Polyhiſtore. Auicennas autem coturnices inquit ea ratione dãnari, qua cõuulſionem & tetanum pariunt, non mehercule quod ueratro ueſcantur, ueluti Plinius & Galenus uoluere, ſed quod in earũ ſubſtãtia ſit hæc facultas cõuulſoria, quæ res & Razæ & Auerrhoo ĩprobatur, quũ alimentũ a coturnicibꝰ deſumptũ probi ſucci eſſe cõtendant, ueluti tertio libro fuſius demõſtrabitur. Albertus aũt ille Magnꝰ cognomẽto, Paſſeres ẽt inquit comitialiter prolabi ſi hyoſciami potiſsimũ ſemẽ, quo maxime oblectãtur, comedãt. id an uerũ ſit, alii iudicent: nolo.n.in hac re multꝰ uideri, ad illud potius pergamus, quod unũ reſtat, nẽpe an comitialis morbꝰ ſit hereditariꝰ. illũ.n.hæreditario quodã iure in poſteros ſuccedere nulli mirandum uideri debet, cum multi & patres & auos habuerint comitiales, in quibus ſemen erat uitiatum: atq; ideo natis uehementiorem fecerunt capitis imbecillitatẽ. Illud ipſum

ipsũ ostẽdit Hippocr. qui dũ libro de sacro morbo ostẽ dit malũ hoc nulla re diuinius cæteris esse, sed eandẽ quã alii habent morbi naturã habere,& caussam unde singuli progignãtur,nihil prohibere ait quĩ ueluti ex pituitoso pituitosus,ex bilioso biliosus,ex tabido tabid⁹ gignitur: cuius parẽtes hoc malo capti fuerint; ẽt posterorũ ac ne potũ aliquis ab eo tẽtetur. Semẽ.n.genitale ab oĩb⁹ corporis partib⁹ procedere ait, a sanis sanũ,a morbidis morbosum. Quòd uero ita res habeat, idem in cõmentario de aere aquis & locis ostendit. hic.n.caussam referẽs cur nõnulli oblõgis capitib⁹ nascerẽtur, μακροκεφάλους uocat, circa mæotim paludẽ habitãtes, semẽ inquit genitale in caussa fore,quod quũ, ab oĩb⁹ corporis partib⁹ emanet, a sanis sanũ a uale tudinariis ualetudinariũ, fiatq; ut ex caluis calui nascãtur,ex cæsiis cæsii,& plurimum distort⁹ distortũ ferat: atq; eadẽ rõ sit circa reliquas formas: nihil prohibere ait uti ex non macrocephalis macrocephali producãtur. Eadẽ igitur rõ existimãda est,quod comitialis hic morbus hæreditario quodã iure in posteros succedat,quæ & de podagra laborãtib⁹: siquidẽ & hæreditariũ morbũ eandẽ ob rõnẽ & Galenus & Auicẽ. uoluere quãdo inter caussas podagrã cõstituẽtes semẽ uitiatũ interserunt. Exposui fere ut potui,quæ maxime ad hãc disputationem pertinere arbitrabar: dixi.n.de noĩe, aut potius noĩb⁹,& an a Deo fieret: ostẽdi eius oĩa genera caussasq; omneis ex quib⁹ oriretur: dixi de loco,in quo morb⁹ hic fieret,& an acut⁹ esset an salubris, & propterea an diutinus esset an breuis. exposui quæ morbi tempora, quæ temperamenta, qui sexus huic malo obnoxia essent. præterea quibus anni temporibus, quo cæli statu tẽporũq; cõstõne fieret: ostendi ẽt an cæteræ præter hominẽ animantes idẽ malũ paterentur: demum an hæreditario quodam iure in posteros sæuiret. quæ oĩa haud noua quidem tibi esse arbitrabar, sed uoluntati tuæ parui.

Harum tamen omnium rerum doctrina ipsa uulgaris est, usus autem grauissimus. Quamobrem quoniam de comitiali morbo si non sunt omnia patefacta, at certe satis multa cõmonstrata, finem huic disceptationi faciemus.

HIERONYMI GABVCINII, FANESTRIS, DE COMITIALI MORBO

LIBER SECVNDVS.

NON POSSVM mehercule, Flaui optime, non sa-
tis eorum impudentiam admirari, qui quum ni-
hil plane sciant, inuictos omneis fere morbos e-
uincere suis quibusdam abditis ut uocant, remediis au-
dent, atque ueluti Thessali quidam omnem breuissimo
tempore medicinæ artem nos edocere conantur. quo-
rum temeritatem quum sæpenumero in morbis quibus-
dã difficillime curandis aspexerim, uix dici potest quàm
indignanter pertulerim. ita enim audaces sunt & impu-
dentes, ut præcepta quædam peruulgata decantent, quũ
ipsi nunquam medicæ disciplinæ fores, curationem nũ-
quam ullam rite peractã uel fecerint, uel aspexerint. ut
peripateticus ille dicitur, Phormio, quũ Annibal Cartha
gine expulsus Ephesum ad Antiochũ uenisset exul, pro-
que eo quod eius nomen erat, magna apud omnes glo-
ria inuitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi,
si uellet, audiret, quumque is se nõ nolle dixisset, locu-
tus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de Impera
toris officio, ac de omni re militari. Tum, quum cæteri,
qui illum audierant, uehementer essent delectati, quære
bãt ab Annibale quid nã ille ipse de illo Philosopho iudi-
caret. hic Pœnus non optime græce, sed tamen libere re
spondisse fertur multos se delyros senes sæpe uidisse, sed
qui magis quàm Phormio delyraret uidisse neminem. ne
que mehercule iniuria, quid enim aut arrogantius aut lo
quacius fieri potuit quàm Annibali, qui tot annos de Im
perio cũ populo R. omnium gentium uictore certasset,
græcum hominem, qui nunquam hostem, nunquam ca-
stra uidisset, nullam denique minimam partem ullius pu
blici

Cic. in 2. de oratore.

blici muneris attigisset, præcepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui in quibusdam curatu difficillimis morbis præcepta dant, uidentur. quod enim ipsi experti non sunt, id docent cæteros. Ego enim in multos iam phormiones incidi, qui quum imperitissimi sint, nihil plane quenquam medicum, qui ætatem in medicina consumpserit totam intelligere arbitrãtur. Ac mihi quidem non ita molesti sunt, facile omnes perpetior, ac perfero, nam efficiunt, ut me non didicisse eorum mirificam doctrinam minus pœniteat, dimittoq; eos nõ tam cõtumeliose quàm Annibal, etsi fortasse plus habeo etiam negocii: sed tamen est eorum doctrina perridicula, &, quod magis est, periculosa. Idem enim cuique morbo curando remedium exhibeat, non adhibita neq; tẽporum morbi, aut anni, aut ætatis, aut sexus, aut etiam morbi magnitudinis, aut aliarum rerũ distinctione, sed omnia confundunt, perturbant omnia, ut, quod unius iam fuit auxilium, alterius fuerit caussa morbum uel faciens, uel fouens. Illud autem illis non ob aliud contingere existimo, nisi quòd cum morborum caussas, tum eorum potissimũ notas ignorant. Quamobrem quum satis multæ sint huius mali notæ propriæ inquam & communes, eas omneis in medium afferre cõstitui, ut & istis etiã empyricis aliquo modo prodessem. aut enim ipsorum secreta remedia non utcunque, sed propriis adhibebunt morbis, aut si minus id ualeant, iisdem abuti sane subuerebuntur. Nec uero te carissime Flaui atque optime his in præsentia comitialis morbi tum caussis, tum notis, tum curatione insequor, ut erudiam, quis enim te in omni doctrinæ genere aut subtilior, aut præstãtior? quis in re medica exercitatior? quis prudentior esse potest? Sed quoniam hoc scribendi genus, siue quòd non admodum uulgatum fuerit, refugere posses, siue quòd satis multos de medicina grauissimos authores legeris, qui omnia pene nouerunt, & scripserunt, non tamen arbitror tibi hos libros ex eo fore genere, quod merito propter eorum ieiunitatem possit illudi. nihil enim mihi quidem

hi quidem uidetur in hoc sermone esse præteritũ, quod quisquam præclaris ingeniis, acerrimis studiis, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur. quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam, medendiq; rationem atq; usum per te ipsum optime percepisti. Sed quo citius hoc, quod suscepimus, munus conficere possimus, ad ea, quæ proposuimus, ueniamus.

Dicturus igitur comitialis morbi notas, quum eæ diuersas habeant differentias, diuersisque eius morbi generibus conueniant, eas prius partiri oportere censeo, ut quæ cuiusque generis propriæ, quæue communes omnibus sint, eas explicare, ne uagari, & errare cogatur oratio, falsaque propterea docere uiderer. Cæterum quoniam earum omnium quinque sunt genera, quædã enim affectionem significant, παθογνωμονικὰς græci uocant, quæ a morbo quem indicant seiungi non possunt, aliæ assidẽtes propterea dicuntur, quod affectionis differentiam non affectionem connotant, quæ morbum consequuntur, & post apparent, & quas συνεδρεύοντας uocant aliæ, prognosticæ; iudiciales nonnullæ, coctionem quædam, aut cruditatem significant: horum duo postrema genera ut nostro non apta sermoni, & quæ cæteris cum febre acutis morbis magis conueniunt, dimittemus. Quoniã uero confuse satis explicarentur, nisi in eis recensendis ordo seruaretur: operæpretiũ facturus uisus sum, si eas illo ordine, quo Paulus, referam, hic enim author meo quidem animo breuiter omnia fere, miroque ordine cõplexus est. quas tamen notas, quoniam nimis presse, ut multi sentiunt, descripsit, fusius meo arbitratu explicabo, earumque caussas commonstrabo. Eas igitur primum proponam, quæ morbum anteeunt, atque prænunciant. Præcedit igitur, inquit, corporis animique status minime arbitrarius, tristitia, eorum quæ iuxta sunt obliuio, turbulentæ insomniorum imagines, capitis dolor eiusque repletio continua: ob iracundiam maxime pallor faciei, & inordinatus linguæ motus, nonnulli ipsam quoq; commordent. Has omnes uel plureis Hippocrates

lib.3.c.13.

crates prius in Coacæ prænotionib⁹ scripsit his ipsis uerbis. Quibus capitis sunt dolores, & sonitus aurium citra febrem, & uertigo, & uocis tarditas, & manuum torpor, eos aut sideratos, aut comitiales, aut obliuiosos fore expecta. Quid quod Cælius Aurelianus uertigines persæpe futurum comitialem morbum denunciare, ac ueteres denique μικρὰν ἐπιληψίαν τὸ σκότωμα appellasse scriptum reliquit. Arctæus uero, medicus meo quidem animo insignis, ac peruetustus, primo de caussis & notis acutorum morborum, etsi caput illud quintum sine principio circumferatur, has antecedentis comitialis mali notas refert. Præcedunt enim inquit, hebetudines, uertigines, tendonum grauitates, uenarum colli repletiones & distentiones: nausea frequentius quidem a cibis, non minime tamē & ab inedia pusilla quædam nausea sequitur, & uberior pituitæ fit uomitus: paucis assumptis cibis fastidiunt, & crudi sunt, flatibus replentur, præcordia elata habent. Hæc sane perpetuo comitantur. Præcedit igitur inquit Paulus corporis animique status minime arbitrarius. status hic corporis is esse existimatur, qui a Paulo eodem, Aetio, Raze, Auicenna cæterisque in eo morbi genere reperiri describitur, qui Incubo Ephialthesue dicitur, quem affectum comitiale malū anteire scribūt. nam si diutius sese incubo prorogauerit, crebroq; eo correptos per noctem opprimat, comitiales inter alios effatu dignos affectus morbi nunciantur, quum primum in caput huius uitii caussa ferri cœperit. quæ enim comitiales interdiu, eadem ephialthici dormiētes noctu perpetiuntur. Animi uero status minime arbitrarius ex nimia cerebri humiditate cōtingit. quum enim humidius, quàm pro natura fuerit, necesse est moueri, ubi uero mouetur affectio, necesse est neque uisum quiescere neque auditum, sed alias aliud uidere & audire, & linguam talia dicere, qualia semper ac singulis uicibus uiderit, & audierit. quanto uero tempore cerebrum quieuerit, tanto etiam homo sapit. status igitur tum corporis, tum animi arbitrarius minime existit. Tristes præterea ac mæstos

lib. chronicorum 5. c. 7.

lib. 3. c. 13.

lib. 9. ad

c. 12.

prima. 3. tr. 5. c. 5.

mæſtos eſſe comitiali malo affectos nemo nō probat: ſiquidem angore quodam animi, inquietudineq́ue multa intempeſtiue iactatos illos quotidie uidemus. huius autē ea cauſſa eſt, quod cerebum perſigeratur, ac præter cōſuetudinem compingitur. hoc autem a pituita perpeti cerebrum author eſt Hippocrates: eos uero quorum affectus a nigro fiunt humore, alia quodam ratione triſtes fieri contingit. etenim timent hi fere ſemper, ac triſtitia quadam præter rationem afficiuntur, ac ſi mauis cum ratione mæſtos eſſe, mœroris cauſſa morbi eſt tum longitudo, tum ſæuicies: quando qui ætatem fuerit adeptus curationem non admittit. Ab hac etiam affectione obliuioſus euadit. quamobrem recte Paulus dixit, eorū quæ iuxta ſunt obliuio. Iam enim memorandi animæ facultati caſum hanc poſſe contingere tum in ægrotantibus, tum in his, quorum iam finiti ſunt morbi, quemadmodum in comitiali malo obnoxiis contingere ſolet, uel Thucididis teſtimonio diſcere licet, qui non nullos e peſtilentia ſeruatos omnium adeo, quæ antea nouerūt, fuiſſe oblitos memoriæ prodidit, ut non ſuos tantum familiares non agnoſcerent, ſed ne ſeipſos quidem. Hanc autem obliuionem, uel potius ignorantiā ἄγνοιαν uocāt, cui ſimile quidem eſt, quamquam non idem, quod μώρωσιν nempe fatuitatem appellant. is autem caſus citra delyrium ægros naturalibus fatuis ſimiles reddit, quales etiā ex iis, qui dicuntur conſenaſcere, non nullos fieri nouimus. Noui ego ſane quendam, Pompeium nomine, qui comitiali conuulſione frequentiſsime capiebatur, hic adeo rationem una cum memorandi facultate corruptā habebat, ut ne ſui ipſius quidem comminiſceretur, nedum parentes, aut fratrem quos habebat, aut familiares agnoſceret. obliuionis igitur cauſſa in comitialibus noua eaque frigida intemperies exiſtit, quæ parteis illas pertinaciter obſidet, a pituitoſi nigriue humoris copia in cerebro coacti facta. hæc enim animaleis actiones torpidas efficit, ueluti ex animalibus per frigora latētibus, atque ex medicamentis cibiſque natura frigidis aſſumptis

lib. 2. de bello Peloponeſiaco.

ptis colligi poteſt. Poſt frigidam uero ſecũdum locum humida obtinet intemperies, quæ ſi cum priore modice iungatur, memoriæ non minimum obeſt, atque obliuio tunc fieri contingit. quod ſi uehementer intẽdatur, ſoporem, ſtuporemq́ue conſtituit. hæc igitur ſi ante comitiales affectiones apparẽt, eos eo modo futuros præſagit, quo ephialtem comitiales nũciare dictum eſt. quã rem Auicẽnas his ipſis uerbis oſtẽdit. & ſcias quod obliuio quando accidit cum ſanitate, ægritudinis nunciat cerebri fortes, ſicut apoplexiam, epilepſiam, & lethargiam. Turbulentæ autem inſomniorum imagines quod & comitiales conuulſiones præſagiant, uel Hippocrates ipſe teſtatur. hic enim in coacæ prænotionibus ita ſcripſit. comitiali morbo laborantibus urinæ tenues et crudæ, & præter morem ſine repletione morbi inuaſionem ſignificant, tum alias, tum ſi quis dolor aut cõuulſio in ſummum humerum, aut collũ, aut dorſum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum inſomnium uiderit. hæ uero pueris in primis contingunt, iisq́ue præſertim, qui natura ſunt edaciores: quãdo enim loca ad uẽtriculum ſpectantia ſenſu quidem uigent, ſed imbecillæ exiſtunt, cibus tunc corrumpitur. obſeruatum tamẽ eſt non in pueris tantum, ſed & ætate perfectis terribiles fieri per ſomnos imaginationes: ſi quidem multi, iiq́ue uitioſi humores grauant mordentq́; uentriculi oſculũ. Atq; illud eſt quod idem author in aphoriſmis puerulis obuenire ſcriptum reliquit, nempe φόβους id eſt pauores. Huiuſce rei cauſſam Ariſtoteles in cõmentario de ſomniis aquarum exemplo demonſtrauit. Quemadmodum enim ſtantes aquæ, in quibus reddũtur & apparent inſpectantium imagines, ſi moueantur a quopiam, aut illam non reddunt imaginem, aut ſi repræſentare uideantur, confuſam ſane, mutilamq́ue reddere uidentur: ita profecto & imagines, quæ ſomni apparent tempore, quum uehementior quædam interceſſerit motio ab ipſis quidẽ uaporibus, qui a cibis ingeſtis elati caput feriunt, indeq́; poſtmodum deuoluuntur, interdum quidem apparere

prima 3. tr. 4. c. 12.

3. aphor. 24.

non solent: ueluti in nuper editis infantibus usu uenire uerisimile existit: non nunquam autem confusa & mutila apparent, turpesque & monstrificas præseferunt effigies: cuiusmodi somniorum enormitates quum melancholici & febricitantes cernere uidētur, tum temulenti & qui multo se uino ingurgitarint. melancholia nanque & temulentia in multa uehementique agitati spiritus commotione consistunt. Eodem igitur pacto somniorum, quæ comitiales antecedūt affectus, turbulentæ imagines fieri existimantur. Capitis uero dolor propterea fit, quod in quouis capitis dolore caput facillime afficitur, atque illud omnibus capitis doloribus commune est, in cephalea, uero partes affectæ multo reddūtur, quā in cephalalgia, imbecilliores. dolores igitur capitis, qui comitiale malum primogenio cerebri affectu constitutum antecedunt, a plenitudine oriri ex eo cōstat, quod grauitatis sensum afferunt. Quòd uero comitiales homines caput graue sentiant, nemo non nouit. his igitur si rubor antecedit, atque calor, calidos, si sine his, non calidos humores significant. Cæterum hi, quum a non calido potissimum humore fiant, non admodum propterea uehementes enascuntur, quando qui uehementissimi fiunt, ex factiuis licet qualitatibus oriantur, frigiditate nimirum & caliditate, ex caliditate tamen uehementiores enascuntur. siccitas enim non æque uehementes parit: humida uero qualitas sui ipsius natura nullum plane dolorem infert, nisi caliditati, aut frigori, aut humorum copiæ adiuncta. capitis igitur dolorem, quo de agitur, aut ex frigiditate, eaque uel sola uel humiditati coniuncta, aut ex humorum copia frigiditati addita fieri perspicuum est. Eiusque repletio continua. uerba hæc doloris caussam a plenitudine eo, quo dictū est, modo fieri debere coarguunt. si igitur dolor sentitur, eius etiam caussam percipi necessum est, illam autem grauitas etiam capitis denuntiat, quando quod repletum est, aliquo præsertim graui, graue etiā ipsum esse debet. quid autem inter humores, qui capitis plenitudinem efficiūt,

uel

uel pituita grauius, uel nigro humore existit? a quibus, ueluti a caussis materialibus, morbi constituuntur. Huius igitur continuæ repletionis caussa capitis est imbecillitas, propter quam ex quaque uel leui caussa confertim oppletur, natura ad eam imbecillimã partem superflua transmittente, potissimumque quum quis irascitur: siquidem ex humoribus ira calefactis uapores sursum delati caput implent. Ob iracũdiam maxime pallor faciei. Non ob iracundiam tantum faciei pallor, sed & alias ob caussas fieri uerbum illud, maxime, ostẽdit. quum enim multis fieri possit ex caussis, ob iracundiam potissimũ fieri par est. si igitur colores exuperantem produnt humorem, pallor sane biliosum significabit. Cæterum ex bilioso comitiale malum fieri nõ posse, priore libro fuit explicatum. quo modo igitur comitiales homines facie pallent? An quod non quiuis color redundãtis humoris nota existit? sed tunc fuerit, si nec ambientis nos aeris uiolentia calidi frigidiue, nec ullus animi subsit affect⁹: cuiusmodi sunt ingens timor, tristitia, incipiens uerecundia, ira, atque id genus animæ perturbationes. his enim uehementer commotis, ueluti reciprocantibus sese humoribus inspicere humorem non oportet. Pallor igitur quum præter naturam tũc fuerit, prauum potius qualitate humorem significabit Hippocrate Galenoque authoribus, qui in prognostico conuulsionem in pueris minari potissimum uoluere. Quòd uero humorem corpori prædominantem ostendere haud queat, uel eo patet, quod inquit, ob iracundiam pallor faciei, contingit enim pallidus color ob animi affectũ, iram nimirum, in qua bilis efferuescit, quæ feruefacta similem sibi in facie colorem inducit. cur autem comitiales homines irascuntur, operæpretium fuerit explicare, eos enim irasci minime conuenit, quum pituitosi, uel melancholici potius natura fuerint, & qui sanguinis illa careant excandescentia, a qua ira procedit. ira enim est ueluti feruor caloris in corde. An quod duplex iræ notatio est? quum enim & feruor sit mentis, uti expositum est, & cupiditas

lib.3. aphor. 36.

punìendi doloris, ultionis potius appetentia illi irascũtur. qui enim hoc mali patiuntur, ab aliorum consortio arcentur, nihilique propterea fiunt, unde ingenti animi dolore perculsi eius puniendi cupiditate maxima tenentur in eos præsertim, a quibus sese offensos existimant. non igitur hi uere irascuntur, sed improprie, nempe ob doloris puniendi cupidinem. illud autem iram non esse, sed iræ potius accedere, probatissimi quum medici, tum philosophi uoluere. Hic autem Auicennæ halucinatio deprehenditur, qui linguæ citrinitatem (ut uocat) tribuit, quam Paulus, a quo hæc desumpsit, ad faciem refert, utrique enim Auicennas, nempe & faciei & linguæ, quum tamen Paulus faciei pallorem tantum, linguæ inordinatum motum adscribat, unde ait. Et inordinatus lingua motus. incontinentem alibi linguam uocat Hippocrates, ea autem incontinens dicitur, quæ infirma est uocemque integre dearticulare non potest, aut immobilis aut omnino resoluta: cuiusmodi comitialibus hominibus fieri Paulus uoluit. fit autem hoc ex nimia cerebri anterioris partis humiditate eos neruos dissoluente qui a septima neruorum a cerebro prodeunti coniugatione oriuntur, non longe a spinalis medullæ initio. Ex dissectione enim perspicuum est neruos a cerebri anteriori parte ad faciẽ ad parteis totius animalis sub facie omnes ab altera, nempe a posteriore oriri, a qua eorum etiam neruorum, qui ad linguæ musculos perueniunt, cõiugatio procedit, quibus ipsa motum ab electione perficit. Non igitur iniuria, quum anterior cerebri pars afficitur, sola linguæ motio uitio carebit, reliquæ uero faciei partes omnes in altera parte dextra aut sinistra sensum & motum ab electione amittunt. Linguæ igitur inordinatum motum ea de caussa comitiales homines perpetiũtur, quod humiditas cerebri excremẽtitia neruos, eiusque præsertim anterioris partes resoluit, quominus linguæ musculi ipsam mouere queant. Indeque fit, uti nõ nulli ipsam quoque interdum commordeant. siquidem linguæ caro spongiosa usque adeo existit, ut recremen-

lib. 2. de sani. tuenda.

lib. 7. aphor. 40.

ta a cerebro delabentia facillime recipiat, atque adeo propterea augeatur, ut uix in ore ualeat contineri. quē- *lib. 14. meth.* admodum quodam in loco cuidā obueniſſe Galenus me *c. 8.* moriæ prodidit. unde fit ut inter loquendum ſæpenume ro ipſa commordeatur. Hinc igitur Paulus dicebat Nō nulli ipſam quoque commordent. Has uero notas eius mali generis eſſe conſtat, quod primogenio cerebri affe ctu fieri ſolet. Nunc eas, quæ conſortii quadam lege a uē triculo cæteriſque corporis partibus malum iam factū præcedunt, proſequar, ſi prius earum cauſſas notarum referam, quas ex Hippocrate retuli, quarum compluriū quum ex iam commemoratis rationes audieris, nō erit quod in præſentia multa de eis deſideres, illud tantum modo dixerim, illas omneis uertiginis fere notas eſſe: neque propterea Hippocratem inutilia dixiſſe ſuſpican- dum eſt, quum alios etiam morbos connotent. Quum igitur uertigines ſi diutius proceſſerint, comitialeis af- fectus prænuncient, & uertigines & notas illas indican- tes apponere, ei uiſum eſt. Cæterum quoniam earum cauſſas etiam afferre licet, accipe quæ de ſonitus auriū cauſsis ſentiam. Sonitus quidam ex flatulento ſpiritu, ob exquiſitam ſenſus audiendi ſubtilitatem quidam pro gignūtur. quemadmodum imaginariæ in oculis ſuffuſio- nes propter uapores ex ſtomacho exhalanteis: quidam etiam in febribus aurium ſonitus fiunt, qui medicamen tis minime ſunt interturbandi, ut qui plurimum ſtatim ſedantur. Qui igitur comitialeis præcedunt aurium ſo nitus, uel potius uertigines ex flatulento ſpiritu ab hu- more uel pituitoſo, uel etiam nigro in cerebri corpore conſiſtente facto fieri uidentur. quorum cauſſa quū ſem per præſto ſit, ſemper etiam ſonitus adeſſe certo ſcimus. De uertiginibus autem quid attinet dicere? quarum no tas qui percepit, eas etiam abunde cognouit. ex ipſa e- nim appellatione quales ſint, manifeſtantur, eaſque ob inæqualē, turbulentumq; & inordinatum motum tū hu- morum tum ſpiritus fieri nemo non probat. Fiunt autem interdum cerebro primogenio affectu laborante, inter- dum

dum uero, quum ori uentriculi consentit: has uero comitiale malum prænunciare dictum iam fuit. Vocis uero tarditas, ueluti & manuum torpor illud ipsum plane
lib.7.aph.41 significant, quod Hippocrates in aphorismis, & Paulus antea nos edocuerant, inordinatum nempe linguæ motum, quam Hippocrates incontinentem uocat his uerbis. ἢν ἡ γλῶσσα ἐξαίφνης ἀκρατὴς γένηται, ἢ ἀπόπληκτόν τι τοῦ σώματος, μελαγχολικὸν τὸ τοιοῦτον γίνεται. idest. si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elangueat, tale melancholicum est. qua sentẽtia & uocis tarditatem & manuum torporem indicat, quorum casuum ea est caussa, quod sæpenumero fit obstructio circa ἀποφύσεις quas uocant, neruorum, quæ feruntur ad musculos linguæ brachiorum & manuum: & quum nõ amplius suppeditetur facultas musculis, amittunt sensum & motum lingua & manus, aut saltem deprauate & sentiunt & mouentur. hanc autem incontinentem, illam uero stupore affectam partem uocat Hippocrates. Cæterum animaduersione dignum illud excipitur quod in Coacæ prænotionibus idem author manuum torporem tãtum explicat, quum in aphorismis nullam prorsus certam partem declarauerit. Paulus uero capite de uertigine torporem ait nulla prorsus præfinita corporis parte contingere: quæ res non admodum nos debet cõmouere, quũ sat fuerit torporem adesse: qui si in manibus tãtum, aut alia fuerit corporis parte, min⁹ uitiũ fore cõminabitur: pluribus aut oĩbus, maius. satis est torporẽ uel uniuersi corporis, uel alicuius partis comitiale malum anteire ac prænunciare, præsertim quum eodem in loco non manuum tantum, sed & corporis torporem fieri dixerit. ait enim ad hunc modum. comitiali morbo laborantibus tenues urinæ & crudæ præter morẽ sine repletione morbi inuasionem significant, tum alias, tum si quis dolor, aut conuulsio in summum humerum aut collum, aut dorsum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum in somnium uiderit. Neque mirandum uideatur, linguæ incontinentiam, & partis alicuius stuporem melancholiam

liam prænunciare, quum neuter casus melãcholiam anteire uideatur, etsi Galeno etiã res difficilis uisa fuerit, quid tamen ex eius sententia colligi potuerit, in mediũ afferam. quemadmodum enim quartani circuitus caussa est humor niger, ita & commemoratorum affectuum, nempe liguæ intemperantiæ, & partis alicuius resolutionis. fieri enim posse inquit eiusmodi affectus ex humoris crassitudine quales ex crassa lentaque pituita fieri solent. Non igitur simpliciter utrunque dictorum casuum melancholicum esse dicemus, ueluti neque pituitosum simpliciter, sed pituitosum una & melancholicum. Somnus præterea uenereus, ὀνειρογόνον græci uocant (is enim est quum quis per somnos inanibus uisis affectus seminis lapsu uexatur) comitialem hunc morbum præsagit, ueluti & furorem, uexationem enim propinquã, corpusq; præmoueri siue prætangi accessione uentura demõstrat Cœlio Aureliano authore. Hic autem non repudianda sunt, quæ primo prorrhetici libro scripta leguntur, ita enim scribit (siue Hippocrates, siue quiuis alius eius libri author fuerit) sanguinis eruptiones, quæ statis tẽporibus fiunt, siticulosæ, difficiles ac exoluentes, si sanguinem non effuderint, in comitialem morbum finiunt. cuius caussa quum priore libro fuerit explicata, non est quod in præsentia repetatur. Noctibus præterea inquietati quidam antecedentibus huius mali notis iam commemoratis accessionem futuram præsagiunt. cuius rei ea caussa afferri potest, quam & morborum iudicationis afferimus. quum enim natura noxios humores excernere constituit, turbantur humores, in quorum turbatione grauiter ægrotãtes habere perspicuum est. hæc autem grauitas noctu fit manifestior, propterea quod hoc tempore dormire consueuimus. Somno igitur a turbatione interrupto clarius grauitas illa percipitur, licet similis fieri posit interdiu plerumque turbatio, quum nocte sequente accessio futura est. et hæc satis: illud tantum modo addiderim, nequid fortasse in hoc opere desideres, nempe eas notas, quæ morbum hunc comitialem

lib. 5. c. 7.

lem primogenio cerebri affectu factum a pituitoso nigroue humore procreatum indicant. Illum igitur, qui a pituitoso progignitur humore, screatio spumans crassa multaq;, sublimamentum etiam in urina uitreum, quædã uniuersi corporis segnicies grauitasque, in primisq; capitis, atque alia permulta quæ huius humoris notæ habentur, indicant. Quod si pituita crudior frigidiorque fuerit, casus sæuiores, ualdeque læthaleis spectabimus. quæ enim ab euiusmodi nascitur humore, læthalis affectio existimatur. In ea uero quæ a salsa pituita oritur, omnes iam commemorati casus leuiores spectabũtur. Eius uero generis morbi notæ, qui a nigro humore originẽ duxerit, pro generum huius humoris diuersitate diuersæ & ipsæ fuerint. Quæ enim comitialis affectio ab humore illo nigro crasso, atque ex sanguinis (ut quispiam dixerit) fece promanat, ex ægroti segnicie, ingentique taciturnitate, atq; imaginatione cerebri facultate corrupta, ueluti in melancholia morbo nuncupato, ab huiuscemodi humoretproueniente usu uenit, deprehendetur. Sin præter naturam, nẽpe si atra exquisitæ bilis fuerit, eius mali caussa his notis constabit. siquidem ægrotus in accesione maxime agitabitur, facileque ac statim fere accesio discutietur, quam febris interdum comitabitur, potisimum si humor tenuis fuerit, nempe si ex flaua præusta bile facta fuerit, multaque uociferabit, atque in furorem ægrotus agetur.

Comitialis morbi notæ consortij lege a stomacho facti, & a cæteris corporis partibus. cap. 11.

Pertexam modo illud quod exorsus fueram, nempe eas notas referam, quæ consortii quadam lege a uentriculo malum factum prænunciant. Quibus igitur a stomacho uitium oritur, iis Paulo authore palpitatio ipsius præcedit, tumultus & erosio Iam ex inedia seu cibo tardius assumpto excandescunt, & oris uentriculi, & totius uisceris affectus iam commemorati esse possunt. palpitatio enim retentricis facultatis imbecillitatem ostendit, quum uentriculus cibos amplectitur quidem, uerum cũ quodam saltu, aut quasi conuulsione, uel tremore, uel concusione: tunc enim deprauatam esse huiuscemodi

com-

comprehendentis facultatis functionem existimandum est. quum igitur palpitatio retentricis animæ facultatis actionem deprauatã ostendat, ipsa tamen expultricis facultatibus casus existit, circa eius motum sensu perceptum factus cum uoluntario tamen cõmunicãte a caussa præter naturam excitatus, nimirum aerea ac uaporosa substantia crassa ac multa pro captu partis in qua fit ex imbecillo refrigeratæ partis calore nata. hic autem uentriculi potius quam stomachi casus existit. Fit & in præcordiis hic idem casus authore Auicenna, quem comitialis mali notam esse uoluit: quem tamen Paulus in uentriculo fieri contendit, atque comitialis itidem morbi notam esse uoluit. Illud uero quũ permultis difficile uideatur, perfacile tamen est illis præsertim, qui locos, in quibus palpitatio fieri solet, optime nouerũt. Iam enim palpitatio non in uentriculo, sed in omni parte, quæ distinctionem suapte natura admittit, fieri potest, neque enim ossa, neque cartilagines unquam palpitant, quum distingui non posint: atque hanc cuti subinde accidere uidemus, nonnunquam subiectis quoque ipsi musculosis partibus. Præterea non ita raro uentriculo, uesicæ, utero, intestinis, iocinori, lieni, septo transuerso, atq; (ut in uniuersum dicam) omnibus quæ distingui possunt: ita ut arteriis atque adeo ipsi cordi contingere uideatur, alio in ipsis præter pulsum deprehenso motu. Quum igitur tot partibus palpitatio fiat; mirandum cuiquã haud uideatur, si quæ in præcordiis ac liene fieri solet, & cuius eo loci meminit Auicennas, comitialis etiam mali nota fuerit. hæc enim si diutius sese prorogauerit, aut melancholiam hypochondriacam, aut comitiale malũ portendere idem author uoluit. Neq; mehercule genus omne comitialis, sed illud, quod ex nigro tantum humore procedit: iam enim ex melancholicis comitiales fieri dictum est. Est & huic finitimus alius casus, nempe Tumultus, quem dum cibi in uentre fluctuãt efficere creduntur. Fit autem fluctuatio a retentrice uentris facultate imbecilli, dum imbecilliter cibos ingestos ample-

prima 3. cap. 18.

xatur. hi uero non recte a facultate complexi, & deiiciũ tur festine,& in inferiori uentre corrumpuntur. atq; hic etiam casus ad uentriculum potius, quam ad eius os referri potest. Ex quo genere est etiam erosio, quæ etsi toti uisceri probe accommodatur,ad eius tamen os spectare potius uidetur. fit autem uel ob salsum, aut biliosum humorem stomachum mordicus infestantẽ calefaciẽdo aut dissoluendo, aut siccando, aut ob acidi frigidique humoris uitium stomacũ mordens, uacuans, eius tunicas cogens & constringens, eique erosionem inferens. Iam uero ut ex inedia seu cibo serius assumpto excandescãt, oris uentriculi sensus maxime uigens efficit. quòd si qua re nocente afficitur, miras parit conuulsiones: quarum uix ullam crederes ab eo procedere, nisi tam crebro ita euenire uiderẽtur. Quanquam enim non pauci ad ipsum nerui perueniant, non tamen tanti esse uidentur,ut eorum occasione principium adeo ipsis consentiat, uti conuulsionem inferre posſit, tantum abest, ut quis credat cor ipsum tam uehementer ori uentriculi consentire, ut acuta potius sequatur syncope. Illud autem iis cõtingit, quibus stomachus sensilis maxime existit. hi enim dum inediam sustinent, aut cibũ serius assumunt, quàm eorum mos exigat, conuulsione per morbum comitialem capiuntur, grammatici cuiusdam exẽplo, qui quoties uel nimis uehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur, comitiali conuulsione capiebatur. cuius rei caussam Galenus disquirens, perpendit in eo uentris osculum, ut quod sensu maxime uigeret, esse affectum, ac deinde consortii lege & totũ cerebrum & corpus uniuersum conuulsione concuti. Illud autem ex habitu corporis totius gracili, & ex eis, quæ ipse sciscitantibus medicis de hac ipsa re stomachũ aſsiduo bile urgeri fatebatur, est conspicatus. eosdem propemodum casus ab iisdem causſis exortos superioribus diebus in muliere quadam uirgine sacra diui Danielis ex Diui Augustini Canonicorum ut uocant, familia, Laura nomine, sæpe spectaui. hæc enim dum inediam potiſsi=

lib. 5. de loc. affe. c. 5.

potiſsimũ ſuſtineret aut iraſceretur,cui rei maxime prõpta uidebatur, conuulſione maxime capiebatur. Alterum olim cognoui, qui ob uulnus capiti inflictum cum cerebri etiam corpore præciſo, ex quõ tandem incolumis euaſit, ſi quando ex ſtomacho laboraret, aut inedia aut ira conflictatus fuiſſet, aut nimia etiam uenere uſus fuiſſet, quum alioqui optimo corporis habitu conſtaret, comitiali conuulſione capiebatur. hic autem, quũ ei ſuaſiſſem, ut ab his omnibus abſtineret, ſtomachoq; ex hiera Galeni corroborato, nunquam amplius poſtea collapſus fuit. His igitur notis omnibus uel earum pluribus, nempe eroſione, tumultu, inedia, ſeu ob cibum ſerius ſumptum excandeſcentia, Paulum deprehenditur Galenumque uelle comitiale malum ſtomachi uitio factum non niſi a uaporibus acrioribus, non ſane obſtruẽtibus ac frigidis, ſed potius erodentibus & calidis, a ſtomacho ad cerebri ſinus delatis fieri, quibus irritati quod ad ipſos iam noxii peruenit expellant: ita ut ad conſtituendum id genus uitii reliqua non ſufficiant, niſi morſus adſit & eroſio, quæ humorem ſtomachum infeſtantẽ acriorem calidumque, nõ frigidum eſſe indicet. quemadmodum in ſingultu compertum eſſe, & quem Galenũ ſæpe perpeſſum fuiſſe, ſi quando piperis immodicã quantitatem ingeſſiſſet, memoriæ prodidit. complures etiam notas morbi huius cõſortii lege a ſtomacho facti refert Auicennas, quales ſunt rugitus, uoces, uomitus, cordis tremor, capitis dolor ingens, ſtercoris, urinæ genituræque in uita defluxio, leuis morbi acceſsio, eiusque facilis remotio, & aliæ permultæ: quarum communes quædam potius, quàm huius partis propriæ exiſtunt. eas tamen in examen tantum deducam, quæ & propriæ huius mali eſſe uidebuntur, quarumque ſuperius nulla facta mentio fuit. Cordis igitur tremorem in hoc eodem morbi huius genere fieri nemo non nouit, quãdo ita natura cõparatũ eſt, ut affecto ſtomacho cor ẽt una patiatur. quo modo aũt cordis fiat tremor, ſupra abunde demonſtratú. capitis quinetiã dolorem ingentem eo tem-

pore maiorem, qui primogenio affectu cerebri fit, id-
est, in eius substantia, uel eo patet, quod a stomacho ua-
pores interdum ad cerebri menyngas ita confertim du-
cuntur, atque adeo eas distendunt, ut cruciatum ingẽ-
tem uehementissimumque pariant dolorem. Differt igi-
tur dolor, qui consentiẽte stomacho cerebrum & caput
afficit, ab eo qui cerebro primario affecti fieri, præsertim
maligniores quum fuerint accessiones, & Auicennas &
Galenus uoluere. cæterum & attonito morbo commu-
nem esse Galenus memoriæ prodidit. Illud uero morbi
genus quod a parte aliqua corporis incipit, quũ duplex
initium habeat, alterum nimirum extrinsecum, quale
scorpionum, uesparum, aut id genus animantium ictus
existit, quæ morsu, ictuue uenenum eiaculantur, alte-
rum internum, utrũque ex uaporis noxii ad caput dela-
tione dignoscitur, qui ueluti aura quadã frigida sursum
delata caput petit, oculosque obtenebrat, statimq; æ-
grotus concidit. Eius uero cuius internum adest mali
initium, has notas refert Aretæus. Non nullos uero di-
cẽs corripit a neruis procul a capite positis incipias qui
cunque in consensum principium affectus inducunt. ita-
que magni manuum aut pedum digiti conuelluntur, un-
de & dolor & stupor & tremor sequuntur, atque in caput
impetum faciunt, si & malum surrepẽs caput inuasit. His
porro fragor quidã redditur, perinde ac si ab ligno aut
lapide uerberentur, quumque ab humo surrexerũt, quæ
dam tanquam si ex insidiis uapulassent commemorant.
Hoc sane pacto illi, quibus primo id malum incidit, de-
cipiuntur. quibus uero familiare & consuetum est, si-
mul atque morbus in digitum impetum dedit, aut inde
exortum est, usitatos qui adsunt adiutores inclamant,
futuramque ab experimento calamitatem prospiciunt,
obsecrantque ut membra, unde oritur, constringant, re-
flectant, dirigant, quin etiam ipsimet sibi ipsis affecta mẽ
bra tanquam inde morbum eximentes trahunt uelluntq;
atque ita sibimet auxiliantes nõnunquam & nos ad ægri-
tudinis notitiam impulerunt. Quæ uero ex utero pro-
uenit

uenit affectio, quum ex menstrui sanguinis, tum seminis genitalis aliarumque uteri humiditatum suppressione dignoscitur. hanc autem dolor in imo pectine inguinibusque & dorso, matricisque graue pondus perpetuo comitantur. quæ autem hæc perpetiuntur mulieres, nõ aliter sensibus priuantur, sed discernuntur quod in ultima accessionis parte per os atque nares spumarum fluore afficiuntur. Sunt & quæ intestinorum uitio, nempe lumbricorum in eis existentium factum morbum indicant. sunt autem sputi defluxus magnus, tenuisque, & lumbricorum aut teretum aut latorum, aut etiam ascaridum exitus. Eius uero, quem coli uitio intestini fieri Paulus scripsit, ex antecedẽte morbo notæ facili dignoscuntur. Quòd si a liene ortum duxerit, his notis deprehẽdetur affectus: nempe si materia morbum efficiens melancholica fuerit, si dolor in sinistro præcordio & liene sentietur, si lienis tumor aliquis, si præcordium idem rugitu quopiam palpitationeque laborarit, si corpus denique uniuersum eiusmodi habitu, nempe melancholico constabit. Sin a præcordiis, aut uapores comitiale malum constituentes erunt biliosi, aut nigri, si biliosi ex præcordiorum inflammatione cognoscentur, & corporis totius colore, nẽpe pallido, aut uirore croceo, aut mentis perturbatione, quæ furorem potius indicet, manuumque ac pedum commotione. si melancholici, ex timore mæstitiaque, & mortis aut desiderio, aut timore, aliisque compluribus, quæ in melancholia morbo nũcupato spectari soleant. Quòd si ab uniuerso corpore morbus pendeat, iis notis deprehendetur, quæ totius corporis habitum, qualis sit, prænunciant: quarum abũde ab illustribus medicis facta mẽtio est. Hæ igitur meo quidẽ animo sunt morbi huius comitialis notæ prognosticæ & asidentes, pathognomenicas uero, quas uocãt, aggrediemur, si prius eorum notas comitialium hominum, qui sunt inuadẽdi, perscribemus. sunt enim qui futura prænoscentes motibus solitis admoniti in domibus sese continentes tutantur, accessionem præuenientes,

quam

quam quum sentiunt propinquam esse, locos eligunt, quibus tuto ac sine ulla turpitudine iactentur. Alii uero istorum ignari publicis in locis cadentes fœdantur, adiũctis etiam externis periculis, quæ affectiones non esse ui deantur, loci caussa præcipites dati, aut in flumina uel mare cadentes, aut in balneis uentris solutione coactii. quemadmodum olim sacræ cuidam uirgini obtigisse nouimus. hæc enim futuram accessionem ignorans in ignẽ apud quẽ aderat, miserrime cõcidit. An uero comitiali bus inuadẽdi percipiant sese conuellendos esse, & cur fugiant ab hominum conspectu, Hippocrates in commen tario de sacro morbo abunde demonstrauit, dum ait: Sunt enim qui cognoscũt hoc malo sese corripiendos esse, sunt uero ii, qui morbo assueti sunt: propterea q; ex hominum frequentia fugiunt, si domus ipsorum in pro pinquo fuerit, ad domũ sin minus, in locum desolatissimum, ubi quampaucissimi ipsos lapsos sint conspecturi, statimque sese obuelant, idque faciunt præ pudore affectionis, non præ timore (quemadmodum multi existimant) Dæmonii. ita enim quum ex hoc morbo atque attonito, tum ex melancholia nuncupato, pauere homi nes conspiciuntur, & delyrent, atque dæmones quosdã uidere sese existiment ipsis infestos, idque interdum nocte, non nunquam interdiu, quandoque utroque tempore. unde sæpe factum est, ut ab huiusmodi spectris multi iam sese strangulauerint, pluresque mulieres quam uiri. est enim muliebris natura animi magis deiecti ac im minuti. Illud idem & in sternutamento contingere plurimũ solet, quando affines ita sunt affectus, ut sternutamentũ leuis comitialis morbus, comitialis uero ingens sternutamentum esse uideatur: in quibus iidem propemodum casus, minores tamen in sternutamento, maiores in comitiali morbo spectari solent. usque adeo enim tũc faciem deturpamus, ut dum sternutamentum instat præ pudore affectionis uultum uel manu, uel alio quopiã indumento uelemus, quumque ingens fit sternutamentum, periculum instat non mediocre, ne ueluti comitia-

les prolabamur. Quamobrem meo quidem animo usus inualuit, ut quum quis sternuit, ei salutem dicamus, perinde ac si timeamus ne comitiale malum incidat, cui affine sternutamentum maxime esse ostensum est. etsi Aristoteles aliam prorsus rationem afferat. At uero pueri primum quidem cadunt, ubicunque tandem contigerit præ inassuetudine: quum autem sæpius capiuntur, postquam præsenserint, confugiunt ad matres, aut aliũ quépiam maxime notum præ timore, atque formidine affectionis: uerecundari enim pueri nondum sciunt. Cæterum quando sermonis serie ducti comitialium hominũ in inuasione turpitudinem ostendere proposuimus, eorum etiam mores in accessione & post ipsam quales sint referre non grauabimur. Mores igitur pessimi insunt, atque inter κακοηθέας, nempe inter morosos pessimorũque morum homines non in inuasione tantum, sed & extra ipsam numerantur. In inuasione autem quid turpius uideri excogitarique unquam potuit? nam ueluti tonitru attoniti fulmineque percussi concidunt. Inter inuasiones etiam uisu fiunt impotentes, apectu graues, quũ & facie & moribus antea uenusti essent, oculos contortos, prauasque existimationes habent. immundi præterea, imprudentes suillo more fiunt. &, ut Aretæus inquit, ἐξάνθρωποι γίγνονται, idest extra hominum mores fiunt. instantis igitur accessionis plures sunt notæ, quæ casus potius quàm notæ morbi præsentis sunt existimandæ: eas tamen prius, quas Hippocrates refert, recensebimus, quales sunt tenues urinæ & crudæ præter morem sine repletione. hæc enim morbi inuasionem significãt, tum alias, tum siquis dolor, aut conuulsio in summum humerum, aut collum aut dorsum incidat, aut torpor corporis fiat, aut turbulentum insomnium uiderit. quorum plurium caussas supra demonstrauimus, reliquas uero Paulus quã breuissime concinneque recensuit in hunc modum. In hoc casu quamprimum inuaserit, ægri concidunt, conuelluntur que: tum impotẽs quædam uox interdum suboritur, sed peculiaris admodum mali nota est oris spuma.

Plin. lib. 18. c. 2. Apulei⁹. l. 9. metamor.

in proble. sec. 33. probl. 5. & 9.

ma. quippe alia communiter aliis quoque morbis eueniunt. Non desunt etiam quibus urina & stercus præter uoluntatem excernitur, non nullis & genitura. quæ omnia quamobrem fiant, demonstrare tentabo. neque enim de horũ omniũ caussis perfecte me loqui, sed pro exercitationis & studiorum meorum mediocritate polliceor. Quamprimum igitur morbus inuaserit, ægri cõcidunt conuelluntúrque ob cerebri atque uniuersi corporis conuulsionem, ita enim nerui ac musculi contrahuntur, ut mouendi facultas uitietur. Cerebrum uero usque adeo seipsum quatit, quo excutiat id, quod noxiũ est, ut is, qui hoc malo laborat, neque uideat neque audiat, neque ullo sensu quicquam percipiat, ac ne consequi quidem possit quid factum sit, si quidem cum memoriæ uiribus ratio quoque oblæditur. quum enim ipsis oculi sint aperti, nihil tamen cernunt animo caligante. Aegroti igitur ob caussas commemoratas cõcidunt: ita uero conuelluntur, ut non tantum principum animæ functionum noxa, sed & uniuersi corporis habeatur, id ipsum Hippocrates iam dudum ostẽdit, qui & manus impotentes fieri, oculosque distorqueri, ac pedibus calcitrare hoc malo captos ait, quorum omnium etiam caussas retulit his ipsis uerbis. At uero manus impotentes fiunt ac conuelluntur sanguine quiescente, & dum non diffunditur, ueluti solebat. oculi quoque distorquentur aere a uenis excluso, & commouentur, calcitrant autẽ pedibus, quum aer in membris cõclusus fuerit, & foras penetrare non poterit præ pituita, uerũ exiliens per sanguinem sursum ac deorsum conuulsionem ac dolorem infert: & propterea sane calcitrant. Habes horum caussas. adiungam etiam aliud, ne quid de quo desideratur relinquam: illud uero est, Quamobrem uelox discussio comitialis conuulsionis fiat, non autem perpetua sit, ueluti in aliis conuulsionum generibus, nempe emprostotono, epistotono, tetanoque fieri solet. quæ res quum supra priore libro ex Galeno fuerit declarata, non est quod in præsentia rursus referam. illud tãtummodo dixerim,

lib. de sacro morb. c. 172

xerim,

xerim, quo modo ægroti resipiscantur, quoque modo accessionis uelox discussio fiat, hoc autem ex eodem au thore colligitur, qui paulo post ita scripsit.
Porro hæc omnia perpetitur, quum pituita frigida deflu xerit in sanguinem calidum existētem: perfrigerat enim & sistit sanguinem. & si quidem fluxus multus fuerit, ac crassus, statim occidit. dominatur enim sanguini per fri gus, ipsumque cōgelat: qui si paucior fuerit, in præsen- tia quidem dominatur obturans respirationem, deinde temporis progressu quum dispersus fuerit per uenas & admixtus sanguini multo existenti & calido, si sic supera tus fuerit, uenæ aerem suscipiunt, atq; ita ægroti resipi- scunt. Illud præterea non omiserim, quod accessiones multifariam uariari conspiciuntur, nunc enim quotidia nos, nunc tertianos, nunc hemitriteos faciūt circuitus: difficile est enim affectionem hanc in continuationem uenire, quando præuentu mortis interueniente minime continuatio intelligi potest, fieri que etiam nequit, ut iugibus diebus aut sensibus priuatum, aut motu caren- tem, aut diuerso raptu affectum in uita manere ualeat. Lenimentorum quinetiam, (lenimentum uoco tempo- ris illud, quod inter accessiones quietum intercidit) ali qua pura, uel limpida, aliqua turbata concurrunt, & aliqua latiora, aliqua angustiora, horum aliqua me- diocria: & nunc accessionum motus longis interuallis *Orib. 3. aph. 24.* conspiciuntur, ut mensium duodecim, nunc angustio- ribus plurimum, uel parum, ut eodem mense uel die fre quenter ingruant. Magnus tamen uir ille Zoar arabs co *lib. 1. tr. 9. c. 7.* mitialis accessiones a cælestibus corporibus fieri, atque a Deo Opt. Max. facultatem, quam influentiam uocat, Lunæ exemplo recipere uoluit: quæ quum sydus nobis propinquior sit, comitialium accessionum motum sibi similem efficit, eodem quo crises modo fieri uidemus, quæ Lunæ motum insequuntur. Tum impotens quædā uox suboritur. Rugitum Auicennas nuncupat, atque in 1. 3. *tr. 5. c. 9* eo comitialis morbi genere fieri ait, quod stomachi ui- tio procreatur. Hæc igitur uox impotens sonus est qui-

dam extraneus ulla absque harmonia ob difficilem aeris expirationem a musculis intercostalibus cõuulsis factus boatus cuiuspiam simillimus. Quòd igitur uox lædatur non in comitialibus tantum, sed & in aliis affectibus attonito nimirum sopore, catalepsi, & id genus aliis contingere solet, communi scilicet earum actionum ratione quæ ab impetu & uoluntatis imperio prodeunt, siue spinæ partes primæ, siue simul cum iis cerebrum quoq; afficiatur. Spirationis præterea ea difficultas hunc affectum consequitur, quam ἄπνοιαν uocant, cuius ea ratione Paulus non meminit, quod eam communem aliis casum haberet, ueluti dicetur. hanc uero in comitialibus non adeo ualidam, quemadmodum in attonitis intuemur. fieri enim haud potest, ut animal omni penitus priuatum spiratione uitam traducere posit: quemadmodum priore libro abunde fuit demonstratum. hæc uero affectio quæ ἄπνοιαν efficit, omnibus animantis partibus communis esse uidetur non in comitialibus tantum sed & aliis affectibus, quales sunt iam antea commemorati, attonitus nimirum, sopor catalepsis, & id genus cæteri. in his enim omnibus nullus proprius affectus spiritalia instrumenta præ cæteris infestat, nõ magis quàm uocis, aut locutionis, aut progresionis instrumẽta, sed affecto principio omnes quib⁹ uires suæ, per quas regũtur, ab ipso suppeditari consueuerunt, ei consentire necessum est. Horum duorum casuum Hippocrates in cõmentario de sacro morbo abunde meminit, caussamq; quare uox respiratioque intersecatur breuissime reddidit per hæc uerba. Quo modo autem hæc singula perpetiantur, ego narrabo. Mutus quidem est, quum pituita repente in uenas delapsa spiritum excluserit, & nõ admiserit neque in cerebrum, neque in uenas cauas, neq; in uentriculos, sed respirationem occuparit. quũ enim accipit homo per os & nares spiritum, primum quidem ad cerebrum uenit, deinde uero in uentriculum magna ex parte, pars etiam ad pulmonem, & pars ad uenas: ex his uero ad reliquas parteis in uenas dispergitur. & quãtum

Spirãdi difficultas

tum quidem eius ad uentriculum uenit, perfrigerat: & nihil aliud confert. idem præstat & quod ad pulmonē uenit. qui uero ad uenas peruenit aer, confert ad uentriculos ingressus & ad cerebrum, atque ita sapientiā & motum membris exhibet. Quare, ubi fuerit seclusus a uenis aer præ pituita, eumq; non susceperint, mutum ac desipientem hominem reddūt. Hæc est igitur caussa cur qui hoc malo capitur, neque uidet auditue, neque ullo sensu quidquam percipit, ac ne consequi quidem potest quid factum sit, quando cū memoriæ uiribus ratio quoque oblæditur, atque ob id mutus ac desipiens euadit. Ceterū quæstioni locus superest, quū enim supra fuerit demonstratum comitialem ab eadem caussa fieri, qua & attonitus morbus, & sopor, cur est quod in attonito superno tantum principio uitiato cerebro scilicet, ob spirationis defectum, quæ per thoracis musculos fieri solet, cor quoque lædatur, atque ob id laborantes præsertim in uehementi attonito morbo pereant, in comitiali uero atque sopore non item. An quòd in attonito musculi, qui motionis principium a neruis in ipsos a spinali medulla quæ in ceruice est, delatis suscipiunt, thoracem attollere nequeunt, priuatis tūc musculis facultate mouēdi, quæ ex cerebro ad ipsos confluere solebat. etenim nisi ad spirandi functionem ambo simul iuncta principia concurrere oporteret, potuisset quispiam uiuere priuatus interdum superno principio, uiolentam enim difficilemque spirationem uidemus, perinde ac si uinculo quodam constrictus thorax attolli prohiberetur. in minore uero attonito morbo, comitiali, sopore, catalepsi, lethargo, non ea sequitur spirationis interceptio: quando neruorum principium non ita afficitur, ueluti in attonito. in comitiali præterea, uti præceptum fuit, sinus tantummodo cerebri afficiuntur, non cerebri corpus, accessio item comitialis subito soluitur, attoniti difficulter. His igitur omnibus fit, ut neruorū origo in attonito magis afficiatur, quā in comitiali morbo: a qua per neruos ueluti a fonte per riuos defluit thoracis mus

culis noxa, quominus ſpirationis munus obire queant. In comitiali igitur omnes muſculorum actiones exoluũtur, ſola ea, quæ ad thoracis muſculos ſpectat, actione ſeruata. in attonito uero præſertim uehementi omnes muſculorum actiones in uniuerſum pereunt. Hactenus igitur iſta. ad reliqua pergamus, nẽpe ea ſequuntur, quæ peculiares admodum mali notæ habentur: circa enim acceſsionis finem ſpectãtur: quales ſunt oris ſpumæ, urinæ & ſtercoris inuita egeſtio, & geniture. Spuma igitur ex ore profluit a pulmone: quum enim ſpiritus ipſum non ingreditur, feruet, ac ſpumeſcit, ueluti moriens, quo modo autem illud fiat, uideamus. omnis ſpumæ generatio ex duarum commixtione ſubſtantiarum conficitur, altera ſpirituoſa, altera humida. fit autem earũ mixtio ambabus in multa perfractis, & multis mutuo complexu paruis ampullis ab ipſis effectis. quum uero tenacem habuerit is, qui perfringitur humor, conſiſtentiam, quo ſpiritum circũplectente ampullas generari contingit, non facile diſſolubilis, ſed ſtabilis ſpuma perficitur, qualis maxime currentibus equis, uel ira percitis hircis circa os generatur. Ambarum uero ſubſtantiarum confractionem uel mixtionem facit non nunquam motus uiolentus uel utriuſq; uel alterius tantum. non nunquam uero & ingens calor: niſi & hunc dixeris ſpumam per motum operari. Cæterum ſatius eſt tutiuſq; duplicem dicere ſpumæ generationem eſſe: uentis quidem uehementibus mare occupantibus propter ictum fortiorẽ: in lebetibus uero caloris ratione. ſic itaq; & in corporibus animantium, quum adſunt ex morbo comitiali conuulſiones, motuum uehemẽtia ſpumam generare ſolet, in hircis uero calor, in curſibus autem equorum utraque cauſſa uigorem habet. Quum enim continuo per reſpirationes aer intro atque extra feratur, tunc ſaliua in ipſis extenuatur, & aliquid etiam ex pulmone inſtar uaporis effertur, quod ſaliuæ miſcetur, & complicatur, unde factam ſpumæ ſubſtantiam augeri contingit, atque hæc de ſpumæ generatione. Hæc uero inter multas peculiaris admo-

admodum mali nota eſt, ut quæ huic uni ac ſemper obueniat. Nec mihi ſane probatur, quod neoterici ſcribunt: nempe in inuaſionis fine, bonum, inter eius uero initia malum portendere: præſertim quum antiquorum (quod uiderim) nullus id ſcripſerit, neque ulla præterea ratione firmari ualeat. quum enim duplex ſit ſpumæ generatio, ueluti ex Gal iam præceptum fuit, uera inquã & propria, & quæ communi uoce ſpuma nuncupatur: ſi ueram accipiunt ſpumam, non inter inuaſionis tantum initia, ſed & in fine malum præſagit, ueluti & in attonito & comitiali caſu ſæpenumero intuemur. hanc enim ſentiebat Hippocrates dum in aphoriſmis ſtrangulati dicebat & diſſoluti non dum mortui non referuntur, quibus ſpuma circa os fuerit. Quod ſi communem & quæ ueræ tantum adſimilis eſt, accipiunt, eis ſane aſſentimur, ſiquidem talis eſt, qualem in uinis urinisue, aut ſaliua quotidię conſpicamur. quum enim ſaliua in ore agitatur, ex motu illo ſpumeſcit, ampullæque fiunt ac bullulæ circa os apparentes, quæ quum a minori cauſſa fiat, bonum propterea portendit. Hanc igitur ſpumam ueræ ſimillimam & Paulus & alii peculiarem admodum mali huius notam, eamque neque bonum neque malum inter inuaſionis initia, aut finem præmonſtrare, ſed præſentis tantummodo notã eſſe uoluere. cætera uero iam cõmemorata indicia aliis communiter quoque morbis contingunt. eadem etiam (ni fallor) ex cauſſa tres hi caſus, nẽpe urinæ ſtercoris genituræq; inuita excretio ex totius ſcilicet corporis conuulſione proueniunt. Hi autẽ quo modo fiant, ei facile conſtabit, qui partium, quæ iſthæc perpetiuntur, naturam uſumque probe cognouerit. Meiendi igitur munus non ueſicæ, ueluti & deſidendi nõ inteſtinorum munus eſſe, uerum ab electione conſilioque pendere omnes, qui de natura recte aliquid ſunt commẽti, confitentur, ueſicæ.n. unicũ munus exiſtit, ut uidelicet comprehẽdat, at muſculus qui urinæ meatũ in circuitu ambit in origine ceruicis ueſicæ protenſus inſtrumentũ eſt, cuius opus ab electione excitatur, utpote qui ueſicæ ceruicem

ceruicem ambiens illam ita exacte constringit, ut nihil a uesica humoris in meatum ingredi queat. Atque similem quoque & actionem & usum habet musculus qui recti intestini partem extremam ambit. Proinde quum & ipsi quoque in comitialibus conuellantur, neque urinã uesica, neque aluus stercora potest continere, sed præter uoluntatem paucis omnino interuallis utraque excernuntur. Geniture uero inuita defluxio nõ nisi in his qui præter naturam se habent fieri potest, ob retentricis nimirum facultatis infirmitatem, uel ob aliquam dispositionem, quæ haud secus quàm naturalis ipsa excretoria facultas parteis mouere possit, qualis potissimum per comitialeis affectus, uel conuulsiones uiolenter irruentes fieri solet. illud enim in sæuissimis comitialibus inuasionibus conspicatur. quum enim uniuersum corpus uehementer conuellitur, & cum eo genitales particulæ, propterea excernitur genitura. Hæc uero comitialis illud morbi genus sequi uoluit Auicennas, quod stomachi uitio produci solet, quod tamen omnino mirandum uidetur, quum potius aliis eius morbi differentiis obuenire uideatur, qualis potissimum existit, qui primogenio affectu a cerebro fieri solet: in eo enim maiorem fieri conuulsionem quotidie conspicamur. Expositæ sunt omnes comitialis accessionis notæ, casusue, atque eorum caussa. quæ uero iam peractam accessionem sequuntur, nempe quo modo ægri resipiscantur, atque eorum quæ in ipsa accessione facta fuerunt, reminiscantur, exponam. Soporem comitiales sequi Paulus scripsit, dum enim soporem inter atque ueternum discrimina ponit, soporem inquit aliquot aliis affectibus superuenire, febrium nimirum accessionibus comitialibus, & reliqua. quem sequi Auicennas uisus est: quod tamen haud quaquam uerum uidetur. si enim in sopore immotus insensibilisque homo remanet, in comitiali uero corpus uniuersum conuellatur, & propterea moueatur, & quatiatur, quomodo ex comitiali sopor fieri est existimandus? An quod Paulus meo quidem animo ita debet intelligi? quod

uide 14. de usu par. c. 16 & 6. de loc. affec. c. 6.

lib. 3. c. 9.

prima 3. tr. 5 c. 9.

quod quum quis comitialeis conuulsiones incidit, post conuulsionem illam sæpe temporis spatio non mediocri immotus insensilisque remanet, ac ueluti mortuus apparet, quo potissimum tempore soporem post comitialeis côuulsiones fieri Paulus memoriæ prodidit. siquidem non aderat amplius comitialis accessio. quo loco admiratione dignus Auicennas uidetur, qui ex iisdem caussis fieri soporem scribit, ex quibus capite proprio comitialem morbum fieri scriptum reliquit. fieri enim interdum ait soporem ex uaporibus caput ferientibus, ab eisque cerebrum conuelli, sensumque ac motum seu uitio stomachi seu alterius partis cerebri contractio facta fuerit, in sopore auferri, id quod a ueritate alienum maxime existit. siquidem ex cerebri contractione comitialis fit morbus, non sopor. ex hac enim totum corpus conuellitur, qua conuulsione peracta ac cessante, corporeque immoto atque insensili remanente soporem tunc fieri dicendum est, prius tamen comitialis fit, quē postea sequitur sopor, quo laborat is, qui post uniuersi corporis conuulsionem peractam insensilis immotusq; remanet, atque ueluti mortuus iacet, quamuis nō dum referatur. Idem tamen quod Paulus, innuebat Auicennas, dum prauæ comitialis accessionis notas referebat. nam scripsit his uerbis. Signa uero eius quæ prauior est, sunt difficultas anhelitus & prolixitas agitationis, deinde longitudo quietis post ipsam. Longa siquidem quies post peractum accessionis motum conuulsorium illum nihil aliud esse est existimandū, quàm sopor ille, quem Paulus comitiali superuenire scriptum reliquit. Quo magis suspiciendus est Auicennas, qui hic Paulo consentit, quum alibi aliter senserit. illud tamen ex malo uerborum Pauli intellectu prouenisse suspicandum est, ob corruptam nimirum conuersionē in Arabum linguam: quæ fortasse effecit, ut Auicennas alucinaretur: quum præsertim constet eadem alibi ipsum sentire, quæ Paulus scripsit. Neque mehercule omittendum est hoc loco, quod Ficinus noster nunquā satis laudatus scriptum reliquit, nēpe

comi-

comitiales non nullos homines, peracta accessione, dũ scilicet sopore capti sunt uaticinari. quo uaticinio ab eadem caussa facto Herculem Arabesq; multos excelluisse scribit, qui eo comitiali morbo capiebantur: quæ res an uera sit, satis constabit, si prius hominis uerba referemus. ita enim ait in Theologiæ Platonicæ de animorũ immortalitate libro decimotertio. Sequitur uacatio, quæ fit per syncopam: idest per casum corporis semiuiui quando cordis defectu spiritus ad membra non mittuntur: & qui in membris sunt retrahuntur ad cordis debilitati præsidium. quo in statu, perinde ut in somno, prouenit uaticinium: quo excelluisse Hercules dicitur, Arabesque permulti, qui comitiali morbo corripiebantur. In quibus uerbis duo errata deprehenduntur: neq; enim uacatio illa, quæ peracta comitiali accessione fieri solet, syncopa dici debet, quando in ea non cor ipsum, ueluti in syncopa, sed cerebrum eiusque sinus in primis afficiuntur. Vtrum uero Hercules uaticinio claruerit, aliorum sit iudicium, comitiali quidem certe morbo nunquam captum fuisse legitur. Neque enim tragici poetæ cum græci, tum latini, neq; Aristoteles ipse, a quo permulti, perperã eius uerba interpretati, illud ipsum falso accepere, Herculis comitialis meminerunt. quando nõ Herculeus dicitur morbus, quòd Hercules ipso laborauit, sed quòd, ueluti Hercules inuictus erat, ita euinci medicamẽtis morbus nequeat, potissimumque, quum longinquus factus fuerit, in uetustatemq; desierit. quemadmodum primo libro abunde fuit a nobis demonstratum. Sopore igitur peracto ægroti resipisci incipiunt, quo autem modo illud fiat, Hippocrates in commẽtario de sacro morbo abunde demonstrauit. dum enim omneis retulit casus, qui comitiali obueniunt accessioni, statim inquit, Porro hæc omnia perpetitur, quum pituita frigida defluxerit in sanguinem calidum existentẽ: siquidem perfrigerat sistitque sanguinem: & si fluxus multus fuerit & crassus, statim occidit: dominatur enim sanguini per frigus, ipsumque cõgelat. quòd si paucior fuerit,

rit, in præſentia quidem dominatur obturãs reſpirationem, deinde temporis progreſſu, quum diſperſus fuerit per uenas, & admixtus ſanguini multo exiſtenti & calido, ſi ſic ſuperatus fuerit, uenæ aerem ſuſcipiunt, atque ita ægrotantes reſipiſcunt. Quum igitur a morbo quieſcunt, ab initio membris ſegnes ſunt, capitis grauitate premuntur, diſſoluti ſunt, languidi, pallentes, animo conſternati, ob laſsitudinem morbique uerecundiã cõtriſtantur. Expoſitum eſt breuiſsime omne notarum genus comitialium acceſsionum: illud ſupereſt, quod iam unum reſtare uideo, nimirum an ægri peracta acceſsione, eorum quæ in ipſa geſta ſunt reminiſcantur: eo enim expoſito munus promiſsi omne confecero. Nihil igitur eorum, quæ ipſis in acceſsione contigerunt, reminiſcuntur, quando neque uident, neq; audiunt, neque ullo ſenſu quidquam percipiunt, ac ne conſequi quidem poſſunt, quid factum ſit, ſiquidem cum memoriæ uiribus ratioquoq; oblæditur. Ceterũ præſtat hoc loco huiuſce morbi exemplum ab Hippocrate poſitum libro morborum uulgarium ſeptimo deſcribere, in quo multa eorum, quæ dicta ſunt caſuum, nobis intueri licebit. Anacheti filio, ait, hæc obtigerunt, hyeme in balneo dũ ungeretur, ad ignẽ calefactus eſt, & ſtatim in comitialeis conuulſiones incidit. poſtquam uero multæ factæ eſſent conuulſiones, circumſpexit, non apud ſe erat, quum autem in ſeipſo eſſet, rurſus poſtride mane correptus eſt, atque conuulſus, ſpuma non ualde. tertia lingua inarticulata, quarta per linguam ſignificabat, quinta loqui nõ poterat, ſed in principiis nominum hærebat, lingua nõ ualde, & conuulſio fiebat, & extra ſe erat. quum uero hæc remitterẽt, lingua uix in ſuum ſtatum reſtituebatur: ſexta abſtinebat ab omnibus & ſorbitione & potu, & a nulla amplius affectione capiebatur. Huic igitur comitiales conuulſiones obuenere propter eliquationem a balineo atque igne factam, quam etiam eliquari, aut potius a frigore exprimi, & ſupra oſtenſum eſt, & Hippocrates in cõmẽtario de ſacro morbo declarauit his uer

bis. Defluit autem & eliquatur pueris maxime, quibus caput fuerit percalefactum siue a sole, siue ab igne, siue etiam derepēte inhorruerit cerebrum, etiam tūc pituita secernetur, eliquatur enim & per calorem ac cerebri diffusionem, segregatur autem a frigore ac concretione & sic defluit. & quibusdam quidem defluxionis caussa est hæc, aliis uero etiam ubi repente post aquilonios flatus auster flare cœperit, cōpactum ac debile cerebrum confestim dissoluit ac laxat, ut pituita redundet, & sic defluxum facit. Defluit etiam & ex ignoto timore: siquidem timuerint, aut, aliquo uociferante, aut inter plorā-dum spiritum cito reuocare non potuerint, id quod pueris frequenter contingere solet. Quidquid sane horum ipsorum contigerit, statim horret corpus, & æger mutus factus spiritum non trahit, sed spiritus quiescit, & cerebrum compingitur, & sanguis consistit, & sic secernitur ac defluit pituita. & pueris quidem hæ ipsæ caussæ sunt, ut ab initio sacro morbo capiantur. Quod uero apud se non fuerit, idest, quod una cū motu ac sensu ratio quoque læsa fuerit, supra iam commemoratum fuit. Spuma uero ex ore non ualde prodibat, quod spiritus non omnino prohibebatur a defluxu pituitæ, quo minus pulmonem ingrederetur. quum enim spiritus pulmonem non ingreditur, spumescit ac ebullit. De inordinato linguæ motu, aliisque casibus, quibus Anacheti filius capiebatur, supra abunde perpensum fuit. quominus huc referre sit operæpretium. Cæterum satius fuerit arteriarū qualitatem pulsuum in comitialibus conuulsionibus apparētē perscrutari, ut ea oīa quæ instantē accessionē ipsamq; iam cōsistentē significāt, notas abūde cognoscam⁹. Gal. igitur in cōmentario de pulsibus ad Tyrones eosdē comitialiū & attonitorū pulsus fere uideri scripsit his uerbis.

cap. 1. & 4. de causis pulsuum c. eod.

Επιληπτικῶν δὲ καὶ ἀποπληκτικῶν οἱ σφυγμοὶ παραπλήσιοι. ὅσα οὖν περὶ τῶν ἐπιλήπτων εἰρήσεται, τοσαῦτα καὶ περὶ τῶν ἀποπλήκτων εἰρήσεσθαι χρεὶ δοκεῖν ἐπιτεταμένα μᾶλλον ἐν μὲν δὴ τῷ μετρίως ἐνοχλεῖσθαι, καὶ μηδέπω τῆς φύσεως ἱκανῶς ἰσχυρότερον εἶναι τὸ πάθος, οὐδὲν μίαν ἔνδηλον ἐστὶν εὑρεῖν τροπὴν ἐν μεγέθει, καὶ σφοδρότητι, καὶ τάχει,

καὶ πυκνότητι, καὶ σκληρότητι μόνον δὲ ὥσπερ τεταμένη καθ᾽ ἑκάτερον ἐστὶν ἡ ἀρτηρία, τοῖς ἁπτομένοις εἰκότως. εἰ δὲ ἰσχυρὸν εἴη τὸ πάθος, ὡς βαρύνειν τὴν δύναμιν, ἀνωμαλίαν τε τινα λαμβάνει καὶ τάσιν ἰσχυρὰν, καὶ μικρότερος, καὶ ἀμυδρότερος γίνεται, καὶ ἀραιὸς, καὶ βραδὺς, μεγάλως δὲ θλίψαν, καὶ καταβαλὸν τὴν δύναμιν, ἀμυδροὺς, καὶ μικροὺς, καὶ ταχεῖς ἐργάζεται. ideſt. comitialium & attonitorũ pulſus perſimiles ſunt, quare quæ de comitialibus exponemus, eadem & de attonitis, ſed cumulatius, dicẽda ſunt: ſiquidem dum natura modice turbatur, & nondum affectus adeo inualeſcit, nullam eſt inuenire mutationem in magnitudine, uehementia, celeritate, frequentia & duricie. ſolum autem eſt cõuulſis intenta iure utrinque arteria. Sin autem genus ſit affectus, ut oneret facultatem, inæqualitatem quandam capit ac tenſionem ualidam: ac minor, languidior, rarus, tardusq; efficitur. ſi magnopere grauet, & facultatem opprimat, languidos paruos celeresque creat. Hæc igitur omnia quum Arctæus, cõ pluraque alia & recte & breuiter retulerit, ea huc referre placuit, ut illius authoris doctrinam experientiã atq; exercitationem in morbis curandis ſuam cognoſceres. Appropinquantis enim primum acceſsionis, mox factæ eiusque finis, & illius quæ iam remiſerit notas dilucide affert. ait igitur ad hunc modum. Quum enim acceſsio appropinquat, ſplendores quidam purpurei, aut nigri, aut omnes una permixti ob oculos in orbem uerſantur ac diſcurrunt, ut in cælo iris prætenſa eſſe uideatur. fœdum odorem ſentiunt, aures ſonant, iracundi ſunt, bilis præter rationem accenditur. At in ipſo morbi inſultu ſenſibus captus homo iacet, manus ipſi neruorum diſtentione conuelluntur, crura uero non ſolũ diſtracta ſunt, ſed etiam huc atque illuc a tendonibus proiiciuntur. id genus calamitatis iugulatis tauris haud abſimilis eſt: ceruis incuruatur, caput uarie diſtorquetur: ſiquidem non nunquam pronum ceu arcus inflectitur, quandoque pectori maxilla adhæreſcit, non nunquam uero in ſcapulas refringitur: ueluti his, qui per uim crinibus trahuntur, uſu uenit, quando modo in hanc, modo in illam partem

lib. de cau. & notis acutorũ morborũ c. 5.

ad humeros admouetur. sic laborãtes magno hiatu hos aperiunt, id siccum habent, linguam prælongam ut periculum sit, ne aut magno uulnere saucietur, aut penitus abscindatur. Interdum conuulsione dentes inter se colliduntur, oculi inuersi sunt, palpebræ cum palpitatione frequenter dehiscunt: quòd si quando conniuere uelint, palpebræ non committuntur, sed alba oculorum cernuntur ac subapparent. supercilia non nunquam ut his, qui ad iram concitantur, in glabellam attrahuntur, non nunquam ad tempora uehementer admodum reuelluntur, ut cutis circa frontem ualde prætenta sit, atque in superciliorum medio rugæ euanuerint: malæ rubentes palpitant: labia interdum quidem in acutum claudũtur, interdum uero ad obliqua dilatantur, quandoque in ridentis speciem dentibus circũtenduntur. malæ rubent quidem, sed quum morbus increuit, & faciei liuor accedit ceruicis uasa distenduntur, uox ut in strangulatu aufertur: etiam si uehementer inclames, non sentiunt: eorum uox nil nisi gemitus & suspirium est. Respiratio uero suffocatio quædam est, ueluti in his qui laqueo strangulantur. Inter initia arteriarum motus uehementes sunt, & celeres & parui, in fine uero magni, tardi, & languẽtes, in uniuersum uero ordine carentes. penis quoque arrectio sequitur. Hæc utique circa accessionis finem perpetiuntur. Vbi ad mali remissionem perueniũt, tunc sponte urinam reddunt, aluus fluit, non nullis etiam adstrictis compressisque uasculis genitura excernitur. Ad hæc os uehementer humidum habent, pituitam multam, crassam & frigidam, eam si trahas in longum, uelut filum ipsius multitudinem deduces. Porro temporis longitudine & laboris uehementia, quæ intra pectus sunt, feruent, spiritus uero intra coercitus omnia cõcutiet, eorundem quoque & conuulsio & perturbatio sequitur inter respirandum præterea humores & os & nares mundant, spiritus cum humore effertur: quum uero præcedens strangulatio remittit, omnia item remittere. quinetiam ut magnis procellis concitatum mare, spumã ore

profun-

profundunt, quando & tandem iamdudũ expulſo morbo reſipiſcunt, & reſurgunt. Hæ ſunt totius acceſsionis notæ, aut caſus: quorum plures & potiores ex Paulo declarauimus, qui huic tãquam acuto morbo proueniũt. Quòd ſi diutius permanet morbus, neque per intermiſſiones citra noxam degunt ægrotantes, torpentes, animo abiecti, mæſti hominum aſpectum conſuetudinemq́; uitantes, neque ætate procedente mitiores fiunt, uigilant: per quietem multis formidoloſis imaginibꝰ terrentur, cibum ſumere faſtidiunt, ſumptum male conficiũt, decolores facieque plumbea ſunt: ob ingenii, ſenſusque tarditatem ægre diſcunt: hebet auditus, aures tinniunt, capiti bombi ueluti quidam inſonãt. Lingua in ſermone perplexa eſt, aut titubat, aut ex ui morbi, aut ob uulnera, quæ tempore exacerbationis accepit. tunc enim ob conuulſionis neruorum motum lingua in ore uariis modis torquetur. Rationem uero uſque eo morbus cõturbat, ac deiicit, ut prorſus denique infatuetur. Hos ego omneis olim caſus in quodã, Pompeio nomine, ſpectaui. Habes igitur ea quæ potui colligere, de quibus quidem accuratius dicẽdum & cogitandum fuit. hæc autem omnia erunt tibi quaſi indicia fontium illorum, ad quos ſi cogitatione perueneris, tum hæc ipſa melius, & multo maiora alia cognoſces. quamobrem ſi tu quoq; illud idem exiſtimas, non erit, opinor, iniqua partitio, ſi quum ego comitialem hunc hominem, quem nunc fingo, ut inſtitui, apte, diſtincteque notauero, tradam eũ etiam tibi & curatum, & præſeruatum. Illud igitur quod reliquum ſupereſt, huic ſermoni adiũgam, nempe quot modis comitiale malũ terminetur, qui plures quum ſint, nempe ætatis mutatio, reſolutio neruorum ſuccedens, longæ quædã febres, uitiligo in capite enaſcens, & pſora uniuerſum corpus depaſcens atque abſceſſuũ eruptio horum omnium cauſsas, quoad potero, explicabo. Mutationem igitur ætatis comitialis perſanare dictum iam fuit, Hippocratesque demonſtrauit. illud tantum modo addiderim, infantium morbum intra nonum mẽſem

2. aphor. 45. et 5. aphor. 7

Oribaſio

3.aphor.28. Oribasio eodē authore iudicari dissoluique: puerorum uero intra septimum annum. hic si in his non finierit tēporibus cum ipso laborantem consenescere, ægreque uitam ducere inter fœditates, ignominias, atq; dolores: cū autem qui usque ad ætatis mutationē perseuerat, si puella fuerit, per menstruas purgationes, si puber, per sanguinis fluorem ætatisque mutationem iudicari solere. Sed & tum quosdam abeuntem morbum deformes efficere: pueros quoq; pulchritudinis inuidia perdere; aut manum inutilem reddere, aut faciem torquere, aut sensum aliquem prorsus auferre. Longæ uero febres superuenientes & hunc dissoluunt, sed quæ quartana longior esse potest? propterea Hippocrates a quartana inquit

5.aphor.7. capti non admodum conuulsionibus capiuntur, si uero prius capiantur, & quartana superuenerit, liberantur. quo loco illud primum colligitur eam tantum cōuulsionem febrem hanc curare, quæ ex plenitudine nō quæ ex uacuatione quapiam fieri solet, quando acutissima hæc & maxime perniciosa existit. quum etiam constet comitialeis conuulsiones non nisi a plenitudine fieri. Quæ uero ex plenitudine fit, ab humoribus crassis frigidisque qui neruosis in partibus sunt infarcti. Quoniā uero duplex horum humorum sanatio habetur, excretio nimirū & concoctio, utranque habet quartana: excretionē quidem ex rigore, hæc enim sola agitatio crassum excernere humorem idonea est, coctionem uero caloris febrilis ratione, qui rigorem consequitur. hanc igitur conuulsionem quartana non tantum prohibet, uerum si anticipauerit, dissoluit. quemadmodum etiam idem author libro morborum uulgarium primo, Galenusque

t 4 et 6.epid. commētario tertio, & alibi memoriæ prodiderūt. Quo

9.6. t.7. etiam ex loco colligitur, quartanam, quum ab atro tantum fiat humore, si comitialem morbum curat, illum tātum sanare, qui ex eodem nigro humore producitur; eumque curatu faciliorem esse, quàm qui ex pituitoso crassoque ac lento humore fieri solet, qui nullo pacto curationem admittit, potissimum ubi ætatem aliquā adeptus

ptus

ptus fuerit. idem testatur Auicēnas qui ex alio etiā huic morbo quartanam prodesse ait, nempe ex sudore, quando sudor materiam morbi effectricem diminuit. idem etiā Hippocrates in aphorismis uniuersalius tamen pronunciat, febrem conuulsioni superuenire, quàm febri conuulsionem melius esse dictitans. hanc enim, quæcūque ea fuerit, quæ ex plenitudine fiat, curari posse scribit. sed & clarius sexto morborum uulgarium ait a quartanis correptos magno morbo non capi. quòd si antea capiantur, & quartana superuenerit, liberari. Quod autem comitialis morbus sit magnus, uel nomen ipsum indicat, quando sacrum idest magnum dici demonstratū iam fuerit. An uero in paralysim finiatur, ueluti & attonitus, non est admodum perspicuum. siquidem Galenus attoniti docens comitialis, soporis, & cathochi discrimina, comitialem inquit ab attonito differre, quod hic in paralysim finitur, comitialis non item. Auicennas autem oppositum sentit. quemadmodum enim ait apoplexia conuertitur ad paralysim, ita plurimum epilepsiæ cōuertitur ad paralysim. quæ res an uera sit, & quo modo perscrutandum est. An, quod rarissimum est, comitialeis in paralysim finiri, illosque propterea Galenus in paralysim haudquaquàm finiri uoluit? Auicennas autem, ut qui exactius rem hanc discussit, in paralysim finiri ait, & si perraro fiat. cæterum neque illud quæstionem dirimit quandoquidem Auicennas eodem loco comitiales plurimum finiri in paralysim uoluit, his uerbis Et quemadmodum apoplexia conuertitur ad paralysim, ita plurimum epilepsiæ conuertitur ad paralysim. Et statim postea. & multoties inquit resoluitur epilepsia ad paralysim & ad melancholiam. Illud idem & alibi scripsit per hæc uerba. Præterea fit mutatio ex epilepsia & apoplexia & colica: si igitur multoties, & plurimum epilepsia ad paralysim conuertitur, non igitur aut raro, aut rarissime, quid igitur dicendū? An quòd duplex comitialis morbi materia existit, pituitosus nēpe humor atq; niger? comitialis illud igitur morbi genus in paralysim finietur, quod a pitui-

pr. 3. tr. 5. c. 8. & pr. 4. tr. 6. c. 64. et 2. primi doc. pr. c. ult.

2. aphor. 26.

cōmen. 6. t. 9.

An comitialis morbus in paralysim desinat

4. de locis affectis c. 2.

pr. 3. tr. 5. c. 8.

2. 3.

a pituitoſo humore naſcitur, quod uero ab atro, non item. Attonitus igitur quum ſæpiſsime ab eodem craſſo pituitoſoque humore progignatur, quod creberrime etiam in paralyſim, ueluti Galenus etiam atque Auicennas una contendunt, finiatur, nulli mirandum fuerit, comitialis uero, ut qui ab atro etiam humore proueniat, in paralyſim non finietur, quēadmodum Galenus intelligit. quod ſi quandoque ad eandem conceſſerit, non ab atro, ſed a pituitoſo factus humore finietur. Auicennas igitur dum comitiale malum in paralyſim finiri ait, id, quod a pituitoſo conſtitutum eſt humore, dum uero Galenus idem malum in paralyſim finiri negat, illud ſentit, quod a nigro humore producitur. Rariſsime igitur comitialis affectus in paralyſim finietur, attonitus uero frequentiſsime, non eſt tamen, quin & attonitus in paralyſim etiam non nunquā non finiatur, quando & ipſum ab atro etiam humore prouenire cōpertum eſt, a quo nūquam paralyſis fieri ſolet. ob id igitur Galenus attonitū in paralyſim finiri non ſemper, ſed frequentiſsime, ait. Quòd autem hoc ita habeat, Auicēnas ipſe teſtatur, dū eodem in loco ait. Et multoties quidem reſoluitur epilepſia ad paralyſim & ad melancholiam: quæ enim a pituita prouenit epilepſia in paralyſim terminatur, quæ uero a nigro humore, non item, uerum in melancholiam trāſit, ueluti Herculis exemplo perſpicuum eſt, quem & comitialem, & melancholicum fuiſſe ferunt. Alius mihi olim oblatus fuit, qui comitialis a puero factus in melāncholiam conceſsit, quibus una tandē interiit. Sacra itē uirgo e Diuæ Claræ familia, cuius ſupra meminimus, eodem morbo capta, melancholica facta fuit, quæ in furorem non nunquam agebatur. ego autem, ut ingenue fatear, comitialem nullam acceſsionem in paralyſim finitam uidi: quæ ſi interdum cuipiam uiſa fuerit, nulla propterea contentione uiri illi ampliſsimi diſsidebūt. quando Galenus comitialem acceſsionem nullam ſcilicet in paralyſim finiri poſse accipiebat. Auicennas autem de comitialis caſus præcedente cauſſa ſentiebat. quū enim

uterque

uterque casus comitialis nimirum atque paralysis ab eadem caussa fiat, fieri potest ut præcedens caussa in cerebro existens, quæ actu adhuc obstructionem non parit, in articulos membraque decumbat, atque paralysim efficiat. Vitiliginem præterea in capite enascentem eius nimirum qui hoc malo capi solet, comitialis abolitionẽ prædicere, idemque auferre Auicennas eodem in loco, ex Rufi Ephesii sententia, memoriæ prodidit. significare enim ait materierum dissolutionem comitialium, ualetudinemque secundam portendere: sinapismi fortasse exemplo, quo si cutis ruborem contraxerit pustulasque fecerit & crustas, comitialis affectus dissolutionem parit. quum enim alba uitiligo a lenta pituita contrahatur, si in capite ex Auicẽna interdum contingat, cerebrum ab eodem humore expurgari, ad cutemque humorem trãsmitti uero quàm simillimũ est. quo ẽt ex loco colligi potest comitialis illud mali genus tantum modo a uitiligine curari, quod a pituitoso, a quo etiam uitiligo fieri solet, humore ortum duxerit. Hippocrates uero in fine secundi Prorrhitici libri uitiligines albas ex Læthalibus morbis fieri scripsit, qualis est morbus tabidus nuncupatus. quum uero et comitialis & læthalium morborum numero habeatur, ex eo etiam uitiliginem fieri, & transmutari posse, morbumque propterea comitialem curare nemo ibit inficias. Si uero psora corpus uniuersum afficiatur, eodem morbo captum hominem ab ea curari posse est, qui iure id neget, quando morbos omneis longos præsertim melancholicos facile euinci ab ea posse constat Herculis exemplo, qui Herculeo captus morbo ad insaniam peruenit, a qua postea psoræ prouentu liber euasit. Vnde & apud Suidam ἡρακλέως ψώρα. idest herculea scabies, adagium legitur, quamuis idem author de scabie facile solubili iucundaque perperam intelligi adagium uelit: quando psora non nisi ægre maximaque adhibita diligentia discutitur, quum lepræ affinis maxime sit, atq; ex atra bile, ueluti & lepra, originem ducat, Paulo authore: qua fortasse hominem periisse credendũ est.

uide Auic. 2. 1. doc. 1. c. ul.

lib. 4. c. 2.

Neque mehercule aliud eſt quod fragunt fabulæ, nempe ob indutam ueſtem Neſſæo ſanguine imbutã a Deianira uxore ſibi dono traditam Herculem obiiſſe, quàm quod pſora iniucundiſsima illa planeq; immitiſsima con ſumptus fuerit. hunc enim, ut erat melancholicæ temperaturæ, (ueluti iam præceptum fuit) facile in morbum ſibi familiarem prolapſum fuiſſe exiſtimandum eſt. id quod Flauus lepidiſsime demonſtrauit: dum Canidiã ueneficam ita deprecatur.

„ Quid amplius uis? o mare, & terra, ardeo
„ Quantum neque atro delibutus Hercules
„ Neſsi cruore.

Quod autem ei dono tradita ſit ueſtis a Deianira, idem, deteſtans alium, inquit,

„ Nec munus humeris efficacis Herculis
Inarſit æſtuoſius.

ſer. 30. prob. primo.

„ Illud autem quod ita ſit, uel Ariſtotelis teſtimonio comprobatur. hic enim in problematis ita ſcriptum re liquit: οἷον λέγεται τῶν τε ἡρωικῶν τὰ περὶ τὸν ἡρακλέα. καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔοικε γενέσθαι ταύτης τῆς φύσεως. διὸ καὶ τὰ ἀῤῥωστήματα τῶν ἐπιληπτικῶν ἀπ' ἐκείνου προσηγόρευον οἱ ἀρχαῖοι ἱερὰν νόσον, καὶ ἡ περὶ τοὺς παιδίους ἔκστασις, καὶ ἡ πρὸ τῆς αφανίσεως ἐν οἴτῃ τῶν ἑλκῶν ἔκφυσις γενομένη, τοῦτο δηλοῖ, καὶ γὰρ τοῦτο γίνεται πολλοῖς ἀπὸ μελάνης χολῆς. συνέβη δὲ καὶ λυσάνδρῳ τῷ λάκωνι, πρὸ τῆς τελευτῆς γενέσθαι τὰ ἕλκη ταῦτα. ideſt. ueluti inter Heroas de Hercule fertur, qui eius fuit naturæ, nempe melancholicæ, unde & morbum comitialem ab illo ſacrum priſci morbum appellarunt. in filios ſuos quoque mentis exceſſus & ulcerum eruptio quæ ante obitũ ipſius in Oeta fuere, hoc idem explicat. id enim in multis a nigra bile conſiſtit. Contigit autem Lyſandro Lacedæmonio ante mortem fieri hæc ulcera. Quo loco Theodori illius uiri græci doctiſsimique halucinatio non ſubticenda eſt, qui celebre illud Ariſtotelis problema uertens trigeſimi ſexti primũ in codicem corruptum incidit, proptereaque Ariſtotelis ſententiam deprauauit: quum ita græce eſſet. καὶ ἡ πρὸ τῆς ἀφανίσεως αὐτοῦ ἐν τῇ ἑλκῶν ἔκφυσις γενομένη. ubi ἐν τῇ pro ἐν

ὄιτῃ legit, ita interpretatus. Et eruptio ulcerum, quæ mortem interdum antecedit, quum potius ita uertendum esset. & ante obitum ipsius in Oeta ulcerũ eruptio. neque enim de præpositione, articuloque illo abiuncto sententia ulla dici potest, ueluti dudum Politianus adnotauit, quæ Herculem temperaturæ melancholicæ fuisse commonstraret. Ex his igitur uerbis colligi facile potest huiuscemodi psora Herculem obiisse, non mehercule facili, sed dira atque maligna. cuius, dum moreretur, uoces Sophocles in Trachiniis explicat.

„ Ὦ πολλὰ δὴ, καὶ θερμὰ, καὶ λόγῳ κακὰ,
„ Καὶ χειρὶ, καὶ νώτισι μοχθήσας ἐγώ.
„ Κοὔπω τοιοῦτον οὔτ᾽ ἄκοιτις ἡ Διὸς
„ Προὔθηκεν, οὔθ᾽ ὁ στυγνὸς Εὐρυσθεὺς ἐμοί,
„ Οἷον τόδ᾽ ἡ δολῶπις Οἰνέως κόρη,
„ Καθῆψεν ὤμοις τοῖς ἐμοῖς, Ἐριννύων
„ Ὑφαντὸν ἀμφίβληστρον, ᾧ διόλλυμαι.
„ Πλευραῖσι γὰρ προσμαχθὲν, ἐκ μὲν ἐσχάτας
„ Βέβρωκε σάρκας, πλεύμονας τ᾽ ἀρτηρίας
„ Ῥοφεῖ ξυνοικοῦν. ἐκ δὲ χλωρὸν αἷμά μου
„ Πέπωκεν ἤδη, καὶ διέφθαρμαι δέμας
„ Τὸ πᾶν, ἀφράστῳ τῇδε χειρωθεὶς πέδῃ. & reliqua. idest.

„ O multa dicta grauia, perpessu aspera, quæ corpore exanclato, atque animo pertuli. Nec mihi Iunonis terror implacabilis, Nec tantum inuexit tristis Euristheus mali, Quantum una uecors Oenei partu edita, Hæc me irretiuit ueste furiali insciũ, Quæ lateri inhærens morsu lacerat uiscera, Vrgensque grauiter pulmonum haurit spiritus. Iam decolorem sanguinem omnẽ exorbuit, Sic corpus clade horribili absumptum extabuit, ipse illigatus peste interimor textili. Idem & Seneca in Hercule Oeteo clarissime ostendit his uerbis.

„ Heu quis intus scorpius, quis feruida
„ Plaga reuersus cancer infixus meas
„ Vrit medullas? sanguinis quondam capax
„ Tumidi iecur pulmonis, arenteis fibras
„ Distendit, ardet felle siccito iecur,

„ Totumque lentus sanguinem auexit uapor:
„ Primam cutem consumpsit, hinc aditus (nephas)
„ In membra fecit, abstulit costis iecur.
„ Exedit artus penitus, & totas, malum,
„ Hausit medullas, ossibus uacuis sedet.
„ Nec ossa durant ipsa, sed compagibus
„ Discussa ruptis mole collapsa fluunt.

Quòd uero & abscessus corpori comitiali innascentes idem malum discuttere ualeant, sanumq; propterea corpus euadat, uel ea ratio est, quæ & psoræ fuit. Cæterum illud est obseruandum an abscessuum materia eadē, quæ & comitialis affectionis existat. nā si diuersa fuerit, nullam prorsus ad eam abigendam utilitatem præstabit: neque enim quæ uis abscessuum materia comitiale malum discutit, sed ea tantum, ex quà malum idem innatū est: nempe si materia melancholica mali eiusdem caussa fuerit, atque ex eadem abscessus eruperit, recteque suppurati fuerint. sin minus morbi huius materia melancholica, abscessuumque pituitosa, aut e contra, illius esset pituitosa, horum autem melancholica, nō sane comitialē discuterent affectionem. Quamobrem mirandum nulli uideatur, si sub dubio scripserit Auicennas his ipsis uerbis. Et apostemata quando appareat in ipsa fortasse resoluunt eam, & minuunt materiam eius.

An uero morbus comitialis omnino curatu sit cōtumax uel eius aliquod genus altero deterius habeatur, perscrutatione non indignum uidetur. Sunt igitur qui hunc inuictum prorsus esse uolunt: quod an uerum sit, considerādum. Celsus id genus mali longū esse dicit usque ad mortis diem & uitæ, non periculosum: interdū tamen quum recens est, hominem consumere, & sæpe id si remedia non sustulerint, in pueris, ueneris, in puellis menstruorum initium auferre. euinci autem nihilominus quàm alia posse testatur Hippocrates, nisi iam præ temporis longitudine inualuerit, ut fortius sit medicamentis, quæ adhibentur. quum enim ætatem adeptum fuerit, nō amplius curari, quandoquidem cerebrum erodi a pituita ac.

lib. 3. c. 23.

in commē. de sacro morbo.

ta ac colliquari ſcribit. quod autem colliquatur, aquam fieri, & fori cerebrum ambire & circumuellere, & propterea frequentius ac facilius a morbo hoc capi. eapropter uero diutinum exiſtere, quia quod influit uenis tenue eſt præ multitudine, ſtatimque ſuperatur a ſanguine, & caleſcit. Cæterum nec iſta dubitationem auferunt, quando nulli non ignotum eſt initium ueneris in pueris, menſtruorum in puellis morbum auferre poſſe: id enim temporis eſt, quod Hippocrates ante pubertatem appellat. & enim quis quæret an morbus ultra hanc ætatem, & poſt uigeſimum quintum annum ſit curatu facilis: propterea Hippocrates, ipſumque ſectatus Galenus dum in aphoriſmis, Quibuſcunque inquiunt morbi comitiales fiunt, ante pubertatem mutationem accipunt, quibuſcunque uero uigeſimo quinto anno commoriuntur, dubitationem auferunt. duplicem enim inueniri ſcripturam ait Galenus, quarum poſtremam codices Lugdunenſes & alii habere uidentur. ita enim græce ait Hippocrates. Τὰ ἐπιληπτικὰ ὁκόσοισι πρὸ τῆς ἥβης γίνεται μετάστασιν ἴσχει, ὁκόσοισι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἔτεων γίνεται, τουτέουσι τὰ πολλὰ συναποθνήσκει. quam lectionem confirmat Galenus his ipſis uerbis. ἐστὶ δὲ καὶ ἄλλη τὶς γραφὴ τοιάυτη. οἷσι δὲ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτέων γίνεται, καὶ τὰ πολλὰ συναποθνήσκει, σημαίνοντος τοῦ τὰ πολλὰ, ταυτόν τῷ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ. ideſt. eſt autem & alia ſcriptura talis. Quibuſcunque uigintiquinque annorum fiunt, multum commoriuntur, ſignificante uerbo, multum, idem quod plurima ex parte. eundem poſtremo ſectatus eſt interpres ille, qui Hippocratem latine loquentem faciebat. quibus omnibus fit, ut recte colligere ualeamus nullum morbum comitialem eſſe prorſus curatu contumacem. quicunque enim ultra uigeſimum quintum annum protenditur, & ſi magna ex parte curari nequit, interdum tamen euincitur, præſertim ſi eius acceſsiones fuerint leuiores. quam rem Paulus clariſsime demõſtrat. Nam ſi nõ pubertate, uel menſtruorum initio, uel puerperio ſolutus fuerit, uel ſi poſt hoc tempus remanſerit, ſæpe inquit uſque ad mortis diem prorogatur, niſi con-

gruam

gruam medici curationem fuerit assequutus. Non est tamen quin altera morbi huius differentia sit, altera curatu contumacior: nimirum in quibus acutissimus sit effectus morbus: statim enim iugulat, & tam crebris inuasionibus, eorum, quæ accidunt, uehementia. Qui autem sit acutissimus, Auicennas ostendit his uerbis. Et omnis quidem caussa epilepsiæ cerebralis fundatur super debilitate digestionis in ipso: non ergo euacuatur quin aut sit in substantia cerebri, aut medulla eius, & est deterior: aut sit in panniculis eius, & est leuior. & melãcholica fortis est deterior, quamuis phlegmatica sit plures. & si enim phlegmatica plus accidit, melancholica tamen fortis magis opilat transitus spiritus.

pr. 3. tr. 5. c. 8.

Comitiales præterea affectiones eæ pessimæ existimantur, quæ hydropicis contingunt: ueluti in Coacæ prænotionibus Hippocrates scriptum reliquit. Cæterum quoniam hæc omnia idem author quodam in loco memoriæ prodidit, ea omnia huc afferre constitui, ut constaret num curationem hic morbus assequi, & quo modo ualeat. Ex his igitur porro, inquit, qui comitiali morbo capiuntur, difficillime quidem liberantur hi, quibus a puero contingit morbus, & simul ad uirilem ætatem peruenit: deinde hi, quibus corpore in uigore ætatis cõstituto factus est, & fuerit a uigintiquinque annis usque ad annum quadragesimum quintum. post hos autẽ, quibus factus fuerit morbus nullam significationem præbẽs ex qua corporis parte initium sumat. At quibus ex capite initium sumere uidetur, aut a latere, aut a manu, aut a pede, facilius curatur. Cæterum differunt etiam hæc morbi genera: qui enim a capite ortum ducunt, ex his grauissimi sunt, deinde qui a latere: qui uero a manibus, ac pedibus, maxime sanari possunt. sed & horũ curationem aggredi oportet medicum, qui medendi modum nouit, si homines fuerint iuuenes, & laboris amantes: nisi mens mali aliquid habuerit, aut quis sopore attonito sideratus fuerit. nam hæ melãcholicæ mentis cõmotiones non sunt conducibiles. Alii uero, qui ad infernas

lib. 2. prorrhetici.

fernas parteis conuertuntur abſceſſus boni ſunt. Longe uero optimi & hi ſunt, qui ſanguinolentiſsimi. Quicunque uero ſenes apprehendi incipiunt, maxime moriuntur: et ſi non pereunt, ſtatim celerrimeque per ſeſe liberantur, a medicis autem minime opem ferunt. At quibus pueris oculi repente diſtorti fuerunt, aut maius quoddam malum perpeſſi ſunt, tubercula ſub ceruicem oborta ſunt, aut uocem graciliorem adepti ſunt, aut tuſſes ſiccæ diuturnæ adhærent, aut maioribus factis dolor procedit ad uentrem, & non exturbatur: aut in lateribus diſtortiones habent, aut uenas craſſas circa uentrē uaricoſas, aut omentum deſcendit, aut teſtis magnus factus eſt, aut manus tenuis, & impotens, aut pes, aut tibia tota clauda facta eſt citra aliam cauſſam, his omnibus morbum antea factum fuiſſe ſcire oportet præ his uniuerſis. Et plurimi, qui pueros educant, ſi interrogentur, confitebuntur: quoſdam uero etiam res latet, negantque ſe ſcire quidquam tale factum eſſe. Sed quoniam ſatis uidemur de omibus huius morbi notis caſibusque dixiſſe, & huius uoluminis magnitudo largius proceſsit, quæ ſequuntur deinceps in tertio libro dicemus.

HIERONYMI GABVCINII,

DE MORBO COMITIALI

Liber Tertius, Ad Gregorium Amianium.

QVOTIESCVNQVE, Amiani carissime, Ioannis Baptistæ Flauii necessarii mei recordatio subest, opinione omnium maiorem animo dolorem capio: nam & amico, affineque amisso, (is enim superioribus mensibus, ut scis, cessit e uita:) cum consuetudine iucunda, tum multorum officiorum coniunctione me priuatum uideo: & interitu talis medici ac philosophi, oratorisque clarissimi dignitatem nostri collegii diminutam doleo. Auget etiam molestiam, quòd magna sapientium uirorum, bonorumque penuria uir egregius, coniunctissimusque mecum consiliorum omnium societate extinctus, & authoritatis, & prudentiæ, sapientiæque suæ triste mihi desideriũ reliquit. Doleoque quòd non, ut fortasse quispiam posset existimare: æmulum, aut obtrectatorem laudum mearum, sed socium potius, & consortem gloriosi laboris amisi. Et mehercule iniquo animo eius interitum pertuli, cum quo certare gloriosius erat, quam omnino æmulum non habere: quum præsertim non modo numquam sit aut illius a me cursus impeditus, aut ab illo meus: sed contra semper alter ab altero adiutus & communicando, & monendo, & fauẽdo. Sed quoniam perpetua quadam felicitate usus ille, cessit e uita, nostro incommodo, detrimentoq; doleamus: illius uero mortẽ beneuolentia potius, quam misericordia prosequamur: ne quotiescunque de clarissimo sapientissimoque Philosopho cogitemus, nosmet ipsos potius, quam illum dilexisse uideamur.

Instituenti igitur mihi methodũ curãdi comitialis morbi

bi referre, quam in huius uiri optimi gratiam olim ſcribendam ſuſceperam, eoq́; ordine, ac dicendi more quo cæperam, nimirum dialogiſmo utens, mandare huic tertio libro: Vincentius Thomaſinius neceſſarius meus in omni doctrinæ genere pereruditus ab hoc me ſcribendi genere deterrebat, illudq́ue inuſitatum pene damnabat: atque alios complureis ſingulari uirtute, ac iudicio præditos uiros reprobare dicebat: inter aliosq́; Ioannem Baptiſtã Sichicælium, uirum doctiſsimum, in primisq́; in Platonis Ariſtotelisq́; libris egregie peritum referebat: meq́; omnino ab hoc ſcribẽdi more amouere nitebatur. Hunc quum quæſiiſſem, cur illud ipſis non probaretur, nullam aliam afferebat rationem, quàm quòd antiquus iam Platonis ſcribendi modus oĩno obſoleuiſſet, Ariſtoteleusq́; receptus fuiſſet: propterea quòd loquacior dialogorum forma eſſet, quàm ſcribendi genus Ariſtotelis: ſiquidem eodem illum ubique dicendi genere uſum fuiſſe, rebus, de quibus tractauit, accommodato. In Dialogis uero iure obiici loquacitatem, quam in Ariſtotelis ſcriptis nullam reperiri dicebat. Quibus rebus ita reſpondendum exiſtimaui, Ariſtotelẽ, etſi admirabili quadam ſcientia res naturaleis ſcripſerit, apertiorem interdum, obſcuriorem nonnunquam fuiſſe non eſt, qui iure id neget. ſiue pro rerum difficultate, ſeu ne paſsim quibuſcunque hominibus grauiſsimæ philoſophiæ rationes patefierent: ſemper tamen quieto illo ac remiſſo, & ad docendum idoneo dicẽdi genere ſine multa exornatione uſum fuiſſe. Nos uero, qui Platonis ſcribendi morẽ ſectabamur, non propterea loquaciorem dialogorum formam eſſe exiſtimabamus: quòd perſonæ introducerẽtur, quarum quæque longa uteretur oratione, ſed tunc tantum, quum aliqua re propoſita non niſi pluribus cogi poſſet, qui reſponderet, aſſentiri. In cæteris uero rebus ſemper breuiſsimum eſſe, dum ſcilicet rem aliquam definiret, & ſcientiæ, ut ita dicam, puncto complecteretur. Nec mirum, quando unumquodque dicendi genus ſuum habet modum: atque is aptiſsime agit, qui modo

longior, modo breuior eſt, pro rerum temporumue ratione. Accedit etiam, quod in Dialogis perſonæ fingi aptiſsime poſſunt, quæ diſputent, & uariis ultro citroque argumentis rem propoſitam diſcutiant, & quaſi excudãt quid certi ueriq; ſtatui debeat. Quem diſputãdi modum quum M. etiam Tullius inter Romanos ſcriptores ſecutus fuerit, Iacobusque Sadoletus Cardinalis ampliſsimus noſtra ætate admirabilis maxime fecerit, non erat, quod nos etiam eundem ſequi ſubuereremur. Quum autem Franciſcus Hunulphius, Vincentiusque Franciſcucius, neceſſarii ambo mei, homines omnium, ut optime noſti, & diſciplina iuris ciuilis eruditiſsimi, & ingenio prudentiaque acutiſsimi, atque poetarum, oratorumq; tum Latinorum tum græcorum ſtudioſiſsimi, alterque, nimirum ſecundus, in rerum cœleſtium ſcientia doctiſsimus, illud idem improbarẽt, totisque uiribus ab hoc me ſcribendi genere auertere niterentur, ea ſane ratione, quòd Medicus ueluti & Agricola, atque Gubernator nõ eloquentia diſputationeque, ſed uſu fieri ſoleat: neque ſatis multos reperiri dicebant, qui Dialogos libenter oblectationis tantum cauſſa, quin potius obſeruandi aliqua medendi uel præcepta, uel remedia legerent, effecerunt, ut quietum hoc, æquabileque ſcribendi genus ſuſciperem, primumque omitterem. quod quoniam ita ipſis uiſum eſt, quorum iudicium probatiſsimum ſemper mihi uiſum fuit, Ariſtoteleo more etiam quod reliquum eſt huius negotii Deo Opt. Max. adiuuante aggrediar. De hoc igitur toto curandi genere, quod & aliis fere omnibus capitis affectibus frigidis conuenire nemo non probat, quid ſentiam, ne qua curandi pars præterita eſſe uideatur, (quoniã ita uoluiſti,) diſputabo. Quãquam ſoleo ſæpe mirari eorum impudentiam, qui agunt in ſcæna geſtum ſpectante Roſcio. quis enim ſeſe commouere poterat, cuius ille uitia nõ uideret? Sic ego nũc te iubente primum ſcribam de uniuerſa curandi ratione doceboque ſus (ut aiunt,) Mineruam. Ac ne diutius demorer te, de omni iſto genere quid ſentiam, perbreuiter

uiter exponam, tradamque etiam si placet, quæ ego sequi in medendo, quæq; maxime spectare soleo. Docuit enim iam multa me usus medendi frequens, qui omnium magistrorum præcepta superare potest. Omnis igitur medendi duplex est ratio, altera, quam affert ipsa hominis natura, altera, quæ medicorum iudicio ac prudentia una cum eadem natura comparatur. Nam, ut aliquid ante morborum profligationem agamus, idest ut morbos, quibus mederi uelimus, eorum caussas, casusque, qui illis contingunt, cognoscamus, deinde ut ualentis consuetudinem, corporisque naturam prospiciamus, natura ipsa præscribit: ut autẽ statuamus ea, quæ ad eorum curationem conducunt, quemadmodũ iis utamur, id est uel maxime proprium medici prudentiæ. multa. n. occurrunt remedia, multa, quæ in medendo profutura uideantur, sed eorum non nulla partim ita leuia sunt, ut contemnenda sint, partim ẽt, si quid habent adiumenti, sunt nõ nunquã eiusmodi, ut insit eis aliquid uitii, neque tanti sit illud, quod prodesse uideatur, quin aliquo malo coniungatur. Quæ autem utilia sunt, atque firma, si tamen, ut sæpe fit, ualde multa sunt, ea quæ ex iis aut leuissima sunt, aut aliis grauioribus consimilia, secerni arbitror oportere, atq; ex medendi usu remoueri. Omniũ igitur diuturnarum ægritudinum, qualis est comitialis, medicatio instabilis est, uel quòd haud ex toto deleti sunt morbi, aut quòd ex leui quaque offensa deleti reuertuntur, uel quòd laborantes æquo animo ferre usq; in finem non audent. quod si æquo etiam animo ferant, in uictus tamen ratione nimis longa delinquunt. In magna igitur animi constantia dici præstanda, auxiliis uariandis, iucundis, citra noxam ægro concedendis, ipsoque decipiendo medici uirtus, atque excellentia dignoscitur. Cæterum & æger fortis sit, & cum medico aduersus morbum conspiret necesse est: qui nõ solum corpus tenaciter arripiens ipsum celeriter tabefacit; & exest, uerum etiam sensum magnopere subuertit, animamque insanam reddit. ueluti primo libro fuit clarissime per-

Medendi omnis rõ 2.

Medicatio morborũ diuturnorum instabilis.

medici excellentia in longis morbis curandis.

ſcriptum. In omni igitur morborum curatione præcipuus unus, ac communis maxime ſcopus habetur ad id, quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium. Ex hoc uero genere ſunt cauſſæ omnes, quæ ſecundum efficiunt ualetudinem: ſecundum uero partem & unicuique diſpoſitioni contrariis. In morbo igitur comitiali abigendo rationes, quas uocant, curandi primũ colligentur: poſtea quæremus utrum eas exequi, ſatisque eis facere ualeamus: poſtremum quo modo, & quibus auxiliis illud optime aſſequi poſsimus, eorumque commodum uſum tum temporis, tum quantitatis ratione ſubnectemus: ita enim in quouis morbo curando faciendum eſſe, memoriæ proditum eſt. Rationes igitur curandi, quum uel a morbo eiuſque cauſsis, uel a naturali cuiuſque temperatura, aut cœli ſtatu deſumantur, ſunt diligentiſſime ſpectandæ. Quid autem comitialis morbus, qualisue ſit, iam ſæpe dictum fuit. eſt enim cerebri obſtructio uel ex eius contractione ob conuulſionem facta: uel ex craſsis ac frigidis humoribus, uel utroque procedens, hæc uero unam habet rationem morbo contrariam, nempe meatuum recluſionem: cuius ſalubres cauſſæ ſunt ea medicamenta, quæ abſtergendi, atque ſecandi uim obtinent: uel quæ noxios uapores cerebrũ afficientes per halitum digerunt. Quoniam uero in comitiali morbo non præſentis tantum acceſsionis ammotionem, (hanc enim natura ulla abſque medica ope ſæpe numero perficere ſolet,) uerum longe magis prouiſionem, ne iterum acceſsio redeat, deſideramus, ratio præſeruandi erit, ut caueamus, ne, poſtea quàm materia illa craſſa fuerit ablata, alia itidem eius loco ſuccedat. Temperamentũ autem totius corporis quum difficile cognoſcatur, tentandum tamen erit illud per ea inuenire, quæ pluribus in locis apud ſpectatæ fidei authores ſcripta fuere: atque præter hæc ex ætate totaq; anteacta uita, quæ nimirum in uitæ exercitatone, uictusque ratione conſiſtunt. præterea in hac regione, hoc anni tempore, atque hoc cœli ſtatu conuerſatione. Cœli uero ſtatus ſi contra-

Gale. lib. de conſtit. artis med. c. 13. et 14.

idem lib. 9. meth. c. 14.

lib. 1. de arte curat. ad Glauc. c. 1.

trarium morbo temperamentum habeat, e præsidiorum unum numero existit, sin similem, morbificarum caussarum. Quando enim siccari, calefierique morbus postulat, si hæc præstat, secundæ ualetudinis materiæ rationem obtinet: sin humectat atq; refrigerat, ægritudinalibus caussis est adnumerandus. Vbi igitur cum medendi indictionibus conuenit, recte habet: sicubi aduersatur, inhibenda eius noxa est, scilicet reliquorum auxiliorum siccitate, & calore intentis, auctisque. Has uero rationes curandi, & si perdifficile in hoc curando morbo exequi; eis tamen satis facere possumus. ueluti secundo libro abunde fuit demonstratum. Etsi enim uarium ac portentosum morbi genus habeatur, terribile in accessionibus, & peracutum, & perniciosum, ut quod eius una non nunquam accessio hominem rapiat: non est tamen, quòd aliquando diligenti cura adhibita non recedat, præsertim quum recens fuerit, quod & siquis ex hoc affectu consequi ualetudinem nequeat, morbum tamen recta uictus rationis institutione, rectaque curatione magna ex parte depellet, ac longe minus æger laborabit Nihil præterea obstabit, quominus crassi, frigidique humores morbum constituentes tenuiores fiant, alterationem suscipiant, uacuentur, eorumque generatio ex uictu tenuãte prohibeatur.

Quoniam uero in præseruatione non internas tantum caussas abditasque amouere, sed & alias etiam omneis cauere necesse est: morbi huius caussas externas, ac euidenteis particularius inquiremus ab aere exorsi: sub quo & anni tempora, habitationes, aliaq; id genus complectemur. Vernum igitur tempus suum opere obseruandum est: in hoc enim humores aeris calore diffundũtur, pleniorum corporum exemplo: quæ si exerceantur, interdum comitiales morbos incurrunt fusis ac liquatis humoribus exercitatione. Vere enim maxime quæcunque humoris motu nouantur, in metu esse consueuerũt: morborũq; complura genera, in primisque comitiale tũ maxime & inchoantur, & repetunt. Quamobrem recte

plane

In responso pro puero comitiali morbo labor. plane Galenus ineunte uere purgationē in comitialibus hominibus fieri debere præcepit. Autumnus præterea, ut qui huic malo obnoxiis lōge periculosissimus existit, ob subitam ad contraria mutationem, est exacte suspiciēdus. nam fere meridianis temporibus calor, nocturnis atque matutinis, simulque etiam uespertinis frigus est. corpus ergo & æstate, & subinde meridianis caloribus relaxatum subito frigore excipitur. Sed ut eo tempore id maxime fit, sic quandocunque euenit, noxium est. nihil uero comitialeis magis accessiones, quàm huiusmodi subitæ temporum mutationes parit. Quapropter diligentissime prouidebitur, ne id genus temporum mutationi ægrot⁹ occurrat Hyems uero, quæ sui tū frigiditate, tū humiditate pituitā gignit, uertigines, attonitos, & cætera id genus mala producit. Pluuiū itē tēpus comitialeis & attonitos, ueluti, & australe parit: siquidē caput oppleat humido uapore, unde & uertigines fiunt: hæ aūt comitiales proxime antecedunt. Idē & humi decubitus efficit, ac prope fluuios, & paludes: potissimū ubi aer humidus est, crassus, ac nebulosus: adde regiones frigidas, humidasq́;, uentos omneis ualidos, uehementem calorem, frigus maximum, & quicquid corpus nostrum uehementer commouet, ac concutit. mora præterea in sole plurima, calidioris aquæ in capite perfusio idem malum efficit: hæc enim materias in capite quiescentes exagitat, & alias in pleniore potissimum corpore attrahit. item & odores, (hi nanque & ad aerem referuntur,) summopere sunt deuitandi. qui etsi suaues, comitialeis interdum morbos exsuscitant, caputq́; uaporibus opplent, & humores commouent: nedum graueolentes. Siquidem permultos rerum graueolentia, ut gagatis lapidis odoratus prostrauit. sunt hæc igitur omnino uitanda: ut quæ comitialeis tum faciant accessiones, tum factas adaugeant. Aer igitur calidus ac siccus fuerit, non tamen initio impēse calefaciet aut siccabit: alioqui materiæ in capite existētes liquefactæ ampliorē locum inuaderent, maioremq́; propterea obstructionē pareret.

lib. 3. aphor. 23.
lib. 3. aphor. 17.

Quum

Quum uero corpus uniuersum uacuatum fuerit, calidior ac ſiccior eſto. Lucidus præterea, ac purus eſſe cõuenit: quando ex tenebris materiæ occluduntur. calidior uero fiet, ac ſiccior, ſi in cubiculo ex iuniperi lignis, lauriq;, ac roris marini, atque cæteris id genus ignis accendatur, etſi a terra diſtantior fuerit. ita enim fiet, ut humiditas terræ, atque frigiditas fugiatur. Ac de aere ſatis quidem dictum uidetur. reliqua ſalubrium cauſſarum genera perſequemur a ſommo exorſi. Somnus atq; uigilia neutra modum excedant, alioqui pituitam producent: ille capiti grauitatem afferens, corpusq; diſſoluens, hæc coctionem impediens: noctuq;, non interdiu neque ſtatim a cibo fiat: ſiquidem caput multo uapore replet, ſi minus proba in eo fiat concoctio: quæ etſi proba, licet minus repleat, nihilo tamẽ minus caput grauat. Quamobrem poſt cibum quatuor ferme horis differetur, aut, quod minus eſt, duabus. ſatis eſt enim cibum in imum uentrem diſcendiſſe. Obſeruandum eſt etiam ne ſupinus ægrotus dormiat: ſiquidem adeo prauus eſt cubãdi modus, ut grauiſsimos pariat morbos: quales in primus ſunt attonitus, incubo, lethargus, phrenitis atq; id genꝰ cæteri. Exercitationes proſunt, ac frictiones: Quies uero, quantum fieri poteſt, fugienda: modiceq; corpus exerceatur, alioqui natiuus calor frigeſceret: quo non excitato, pituita redundaret. Quamobrem Galenus in eo, quod pro puero comitiali morbo laborante fecit reſponſo, curationis ſummã in recta ferme corporis exercitatione, & uacuatione conſtituit. plurimus tamen motus, ac labor morbi cauſſa eſſe poſſet, ueluti, & quodcunque aliud corpus uehementer exagitans atque concutiens. Loci quinetiam præcipitis indecẽs conſpectus ſummopere cauendus: quales ſunt altiorum, ac profundarum rerum inſpectio: fulgura item, arcus in gyrum cõuerſos intueri, tonitrua audire, & idgenus talia inter cauſſas comitialeis affectus excitantes exiſtimantur. ſiquidem his ſubitis motibus humores exagitantur, & ab omni ualido ſenſus cuiuſuis ſenſiterio. quidam enim intente

lib. 2. de ration. uic. auc. tr. ult.

Auicen.

tente fluminis decurſum, aut rotam, quæ circũuoluitur, aut turbinem, qui in orbem agitur, conſpicati ceciderunt. Ipſa uero exercitatio eiuſmodi fuerit, ut uniuerſas corporis parteis confirmet, in primisq́; caput, ac uentrem, præſertim quæ circa orificia eius exiſtunt. Quomodo autem illud ſit faciundum, accipito. Principio quidem, quoniam uehementes exercitationes caput opplent, dimittantur: deinde ſi neceſsitas exigat iſtis aliquãdo uti, ut ſublimi erectoq́; capite inferiora exerceãtur, atque ex iis maxime crura. Tertio a paruis lentisq; commotionibus incipiens, ita deinceps uehemens, ueloxq; fiat, confertim enim ualidiores aggredi exercitationes non imbecillibus modo, uerum & robuſtis corporibus ſumme noxium eſt. Ambulationes igitur longæ commodæ ſunt, non flexuoſæ, bonum ſpiritum reddunt, ſub arboribus myrto, aut lauro, aut inter acres, & bene olentes herbas calaminthам, pulegium, thymum, mentam, maxime quidem agreſtes, ac ſponte naſcentes: ſin harum copia non habeatur, inter humano cultu procreatas. inter has quoque geſtationes longæ, & ipſæ rectæ fiant. Itinera facere bonum eſt non ſecundum fluuium, ne delabentem aquam intueantur: uertiginem enim, & comitialem morbum aquæ fluxus affert. Poſt ambulationes, loco tepido uehementer & diu, nec minus ducenties, ut ait Celſus, niſi infirmus erit, æger perfricetur. Eſt autem & frictio inter exercitationes non poſtrema habenda, debilibus præſertim corporibus. Sæpenumero enim fit, ut ſi decẽter, uel ſola fiat, reliquis deinceps commotionibus nihil opus ſit. hæc uero primum continenter, paulatimq; a ſuperioribus ad inferiores uſque parteis, quæ ſubter manus ſunt, deducenda eſt, donec corpus rubeſcat, a brachiis, manibusq; ſumpto initio: & ita deinceps ad pectus, uentremq; procedendum. poſteaq; crura fricanda, ut in ea uidelicet ex ſuperioribus humidæ materiæ deducantur: & tum demum caput perfricandum. Illud enim primum aggredi non ſatis tutum eſt: quoniam, ſi redundans ſit corpus, ad eam partem, quæ ca

lefa-

lefacta prior est, mox superfluitates omnes cōtrahuntur. quapropter caput reliquarum partium postremum citra ullam pinguedinem fricare oportet, quum in aliis partibus oleum absque periculo posit adhiberi. Caput igitur aliquis fricato, alii autem duo pectus, & uentrem & duo rursus alii crura, atque hoc pacto & post exercitationes,& inter eas per omnia membra reliqua faciat. Inde enim fiet, ut & citius corpus reficiatur, & minus refrigeretur, Nam huius quoque præter alia, cura esse debet. obseruare autem conueniet cum alia permulta, tū & hoc, ne confestim post exercitationes palæstram, locum exercitationis egrediatur, uerum postquam satis iam spiritus resederit, & eius exercitationis conturbatio cessauerit, interim lintheo caput diutius fricādum, tum pectine sæpius utendum, post hæc uero paulū quiescere opus est,quibus rite procuratis,ad prādium abeat ægrotus. Animi uero sollicitudines, præsertim maiores si fuerint, negociaque omnia summopere uitanda, in primisque mæstitia, quæ iis præcipue fugienda est, qui pituitæ copiam congerunt, ipsam enim adauget. sic enim complures in morbum incidunt, dum se quibusuis de caussis discruciant. in quos (ni fallor) maxime quadrat illud, quod dixit Democritus. si corpus animum in ius uocaret, non futurum, ut ille muneris male administrati crimen effugeret. nā plus malorum accipit corpus ab animo, quum is eo non utitur, uti par est, neque curat, uti debet, quoties enim affectibus suis, contentionibus, & curis occupatus est animus, tū non parcit corpori. Quidam enim leui de caussa, ut pote ob animi angorem, ceciderunt, &si, quibus familiare factum est malū, hilaritas & bona spes id genus ægros miseros reddit. nihilominus tamen uel leuiter irasci interdū iuuat, quādo natiuus ab ira calor excitatur. Lætitia igitur moderata, atque hilaritas non minimum prodest. Quod ad euacuationem repletionemque attinet, hæc ratio fuerit,ut omnia excrementa quotidie a somno rite expurgentur qualia sunt, quæ per palatum, nares, aures, uesicam,

Animæ perturbationes.

Democriti dictum.

euac. cōis.

alui ductiones fiunt. Veneri tamen modice indulgendũ, alioqui non minimum obest, quando, ueluti primo libro dictum fuit, paruus comitialis morbus ex Democriti sententia existimatur, &enim cerebrum imbecilli⁹ reddit, maximeque uim eam extrahit, qua cibus concoquitur, & plurimum superfluitatis & redundantiæ gignit. &si cuiquam fortasse, qui diutius ab ea abstinuisset, interdum emolumento esse posset, morbos etenim pituitosos curare Hippoc. memoriæ prodidit. Sapienter enim Alexandrum illum Magnum dixisse, compertũ est, duabus potissimum rebus sese mortalitatem suam intelligere, coitu nimirum, ac somno, tanquam sola naturæ infirmitas lassitudinem, & uoluptates pareret. utraque igitur si modum excesserint, non ægris tantum, sed & secunda ualetudine degentibus uitanda sunt. quibus eadem propemodum dicẽda sunt, quæ ueneri dixit Euripides, contingat mihi tui copia, sed contingat moderata: nec unquam mihi desis. si qua tamen consueta excretio, qualis, quæ per hæmorrhodes uenas, purgationes menstruas, cohibitam uenerem, cuiusmodi mulieribus uiduis contingit, fieri solet, retineatur eius noxa inhibenda est, alioqui mali huius caussa esset. Fames præterea ac sitis, quoad eius fieri potest, cohibẽdæ, illud enim commodi ex eis consequemur, uti pituitosa materia morbum efficiens minuatur, & concoquatur, atque per halitum digeratur. fames tamen non usque adeo ingens fuerit, ut comitialeis accessiones pariat. sed mediocritate illa aurea sane utemur, ut non, nisi necessitas affuerit, cibus nobis desumatur. Alexandri eiusdẽ Macedonis uere Magni perpetuo memores, quẽ dictitare solitum ferunt, ad prandia νυκτοπορίας, idest, nocturna itinera, nempe exercitationes & labores, ad cænas ὀλιγαρίστιαν, nẽpe prandiorum parcitatem perducere solere. Attenuante igitur uictus ratione uti par est, qua comitialeis casus paruos quidem, & etiam incipientes penitus sanat, inueteratos uero iuuat non mediocriter. Nunquam igitur utilis est satietas, sæpe etiam inutilis nimia

Gal. 1. comẽtario in 3. epid. cõmẽ. 4. prope finem.

sexto epid. sect. 5. aph. 23.

fames, ac sitis

lib. 3. de loc. affec.

mia abſtinentia, ſæpe, ſiqua intemperantia ſubeſt, tutior eſt in potione, quàm in eſca. Cibus igitur ac potus tales ſunto. non in hoc tantum morbo, ſed & in aliis quibuſuis, uti probi ſint ſucci, uentrem nec cohibeant, neque halituoſi ſint, ſiquidem morbus ab halituoſo plurimum ſpiritu prouenire compertum eſt, & qui facile concoquantur, in hoc uero morbo alimenta uitentur, quæ pituitoſum ſuccum pariunt, eademque ratione cætera concoctu difficilia. Quæ uero improbi ſunt ſucci, ut in morbis omnibus, ſecundaque ualetudine mirandũ in modum aduerſa creduntur, ita huic infenſa maximopere exiſtimantur, ut qui plurimum ex humorum prauitate ac uenenata qualitate proueniat. His igitur, quæ attenuant, ſiccantque, quæ tamen inſigniter mali non ſint ſucci, & quæ caput praua quadam qualitate nõ impetãt, utendum quorum particularem methodũ mox ſubſcribemus. Vitanda uero & ea ſunt, quæ propria quadã eſſentia, & qualitate hunc morbum committunt. qualia ſunt præcipue apium ſylueſtre, ὑποσέλινον græci uocant, iecur hyrcinum, caprillumque cibo potuue deſumptum, aut odoratum. Per totum uero uitæ curſum uitãda maxime cruditas, cibus ante concoctionem obitam: iſq; cra si ſucci, aut nimis ſuauis, Socratisq; perpetu o præcepti meminiſſe debemus, ut eos caueamus cibos, qui non eſurientes denuo ad edendum inuitent, cauẽdos eſſe potus, qui non ſitientes ad bibendum illectent. neq; enim ſimpliciter interdixit; ne his uteremur, ſed quatenus opus ſit, uti docuit, ut harum rerum delectationem ad uſum ac neceſsitatem accommodemus. hæc enim omnia ſi quis accurate conſeruet, ac tueatur, non opus habebit alio quodam auxilio, in primiſque illis, quæ dolorem commouent, periculumque uitæ inferũt, cuiuſmodi & arteriæ ſectio, & caluariæ aduſtio & alia permulta, quæ cruciatum & ſupplicium magis, quàm curationem, multis conciliant.

Nunc de particulari uictus ratione, ideſt de ea, quæ ad cibus potusque particulares attinet, quibus aut uti in

hoc morbo posſimus, aut ab eis abſtineamus, deinceps ita ut ordo ipſe poſtulat, præcipiendum uidetur. præſertim quum tantum uim, & utilitatem huius medicinæ partis omnes eſſe fateantur, in primisque olim Aſclepiades, ut nullum fere aliud medendi genus præter diæteticum receperit. Illud igitur quale ſit, & unde ducatur, magna cum diligentia conſiderandum uidetur. quod nõ rei ſolum magna utilitas eſt, ſed præcipiendi quoque ſumma difficultas. ita iniquo animo præceptionibus medicis ægrotantes ſæpenumero parere aſſueuerunt. De cibi igitur potusque ratione, quinq; ſunt quæ quærantur: unũ quid ſit, alterum quale ſit, quod huic abigendo morbo cõueniat: tertium quid fugiendum: quartum quatenus: quintum quo ſit ordine ſumendum. Atq; illud primum, quid ſit cibus ipſe, potusq;, & quo modo noſtrũ nutriat corpus, uiderint Hippocrates ipſe, & philoſophiæ ſtudioſi: neq; enim ad hunc ſermonem pertinet. Eſt autem (ut ad ſecundum illud ueniamus) eſt plane medici ciborũ potuumque qualitates exacte cognoſcere: uel quòd non nunquam medicinæ rationem ſubeunt: unde morbus ſola uictus ratione perſæpe curatur: uel quòd ipſum medicum politum eſſe hominem ſignificat, quòd eruditum, quòd ægrotantium amãtem, maximeque quòd morborum perſæpe acutiem, quam medicamentis ualidioribus dilui non facile eſt, cibis potibusque medicinalibus diſſoluit. Parcendum autem & maxime quibuſdam, ne ſi quis temere iis utatur, incommodam ualetudinem non concitet tantum, ſed concitatam adaugeat. Quatenus autem cibis uti debeamus, perquam diligenter uidendũ eſt. id quod quarto loco quærendum propoſueramus. nam quo ordine cibus ſit capeſſendus, facilius iam intelligemus, quum ad ipſa ciborum genera deuenerimus.

Medici bonos ex recta uictus rõnis inſtitutione.

Qui igitur præterquam quod tenuem uim habent, probi etiam ſunt ſucci, facileque concoquuntur, neque halituoſi ſunt, hi utiles maxime exiſtimantur: contrarii omnino reiiciunt. Legumina igitur, potiſsimumque faba, ut quæ propria ſui eſſentia teſte Zoar cerebri facultates

cogi-

cogitatricemque in primis perturbat, ac destruit: farinacea, aqua subacta edulia, azima, & fermentata, quæ sunt elixa: eaq; omnia, quæcunque demum crassi lentiq; succi, flatuosa, multorum excrementorum, concoctuq; difficilia sunt, omnino sunt fugienda. Ea uero salubria existimantur, nempe ptissana primum, deinde halica, & far. Iam, quod ad carnes attinet, quadrupedes omnes præter hædum, & aues palustres improbantur. uitandi & capi sunt, cæteræque, quæ uolatu fidunt animantes domi in caueis saginatæ, alioqui recipiuntur. lac, caseus, & quæ ex lacte fiunt condimenta damnantur. Pisces omnes, præterquam saliti, & saxatiles, & ex marinis sola torpedo, reliqui omnes, quemadmodũ & cartilaginea, ostreaceaque fugienda. bulbi item, cochlerum, fungi, tubera, radices omnes, quæ edendo sunt: oua plusquam ad mediocrem consistentiam, decocta, in cineribus assata, uel fricta cauenda. Butyri, & olei & laridi usus pro condiendis tantummodo cibis modicus conceditur, alioqui interdicitur. condita uero omnia duabus de causis inutilia existimantur, quòd & plus ob eorum suauitatem assumitur, & quod modo par est, ægrius cõcoquitur. Piperis, gingiberis, casiæ, caryophylli, hiberno tempore modicus usus esto: a croco uero, & napy, ueluti & a cœpis, aliisque, ut quæ propria substantia cerebrum perturbant eodem authore Zoar, penitus abstinendum est. Mellis, & saccharis usus mirandum in modum prodest: iis tamen, ueluti & aliis dulcibus, aut esculentis aut proculentis ante omnem cibum uti par est. quippe hæc etiã affectionem proritant: præcipue in quibus flaua bilis stomacho innascitur. nam hos temperato uictu alere conuenit: non quemadmodum eos, qui pituitosum humorem congregant, per illa, quæ omnifariam extenuant humores, & calefaciunt. aceto tamen, acetosisque modice utendum. Salsorum uero idoneus usus existit, potissimum ante omnem cibum pro extergenda a uentriculo pituita: eisq; talibus utendum, quæ mollem substantiam obtinent. præcipue uero capparibus sale adseruatis, aceto,

to, oleo, sacchare, aut potius oxymelite conditis. hi nāque & subducunt pituitam, atque attenuant, parteisque eas, qua pollent stypsi, mirifice roborant. hæ uero facultates non in fructibus tantum, aut foliis, uerum & caule, *lib.2.c.192.* & radice, ualidiores tamen in radice comperiuntur. Verum est tamen, quod uentriculo infensos esse, aluumque exturbare Dioscorides memoriæ prodidit, ueluti & Serapion; qui tamen aceto, si condiantur, noxam uentri illatam auferri posse ait. nec mirum, quando salita omnia nedū cappares, quos intelligit Dioscorides uētriculo infestos esse, mordicatione uentri obsunt: quæ tamē salsedo uel leui quapiam in aqua decoctione facta aufertur. Cæterū sal ipse, salitaq; omnia in comitiali malo id commodi præstant, quod pituitam a uentriculo extergunt. *lib. c.13.* quapropter a Paulo non improbantur, ueluti neque reliqua salsamenta. Idem munus & colymbades præstant oliuæ ante omnem cibum esitatæ. Abstinendum esset a fructibus, atque secunda mensa, non tantum morbi eius curandi gratia, quàm ad uniuersam adeo ualetudinem tuendam. hæc enim etsi bono stomacho nihil fere nocet, in imbecillo tamē coacescit, si tamen cupiditas incesserit, non omnibus simul, aut pluribus quoque die, sed unum & simplex esse debet, quod sumitur. neque enim hic philosophis uiuendi modum præscribere nobis consiliū fuit, sed & pueris, qui huic malo plurimum obnoxii sunt: in quibus tamen optabilissimum esset non ob huius modo affectus curationem, sed omnem etiam uitam reliquā his præceptis parere. Illis igitur & manifeste, & in tempore huiuscemodi edulia, quæ non magnum afferunt incommodum, offerantur: ne forte clanculum, intempestiueq; illa sumentes magis etiam lædantur. Solent enim auidius, & copiosius sese desideratis explere illi, qui hisce palam uti perhibeantur. & hac quidem ratione multa pueris edulia, uel non salubria, dum tamen non multum etiam noceant, conceduntur. Satius enim existimamus ea & palam, & tempestiue, modoq; debito offerri, quàm committere, ut hi uehementi cupiditate compulsi

pulsi importune illa confertim, immoderateq; ingerãt. Si igitur fructus ægrotus concupiscat, ficus recentes maturæ admodum conceduntur: ueluti & uuæ maturæ recentes, sed quæ fuerint insolatæ. item & aridæ, passæq;. ficus uero aridæ, quum humores ad cutim propellunt, a neruisq; eos retrahant, & attenuandi uim habeant, calafaciendi, atque siccandi comitialibus aptissimæ creduntur. Pineæ nuces sacchare conditæ non interdicuntur: quæ etsi probi sunt succi, crassum tamen alimẽtum, illudq; non inualidum præstant, proptereaq; non facile concoquuntur: unde minus probantur. quæ tamen sacchare si condiantur, unaq; conterantur, atque in clibano percoquantur, crassiciem saccharis tenuitate amittẽt, atque meliuscule concoquentur. Idem & de amygdalis, auellanisq; nucibus, & pistaciis propemodum dicẽdum. Iuglandes uero, quum eius sint ordinis, quæ tenue præbent alimentum, & calfaciunt, improbandæ non uiderẽtur, nisi capiti dolorem inferrent, Auicenna authore, linguamq; grauiorem efficerent. Sunt & qui linguæ resolutionem eas inferre uelint: propterea dimittentur. Castaneæ quinetiam concedi interdum possunt, quando memoratu dignum exhibent alimentum: easq; huic malo affectis Galenus cõcedit. Inter fugaces fructus pira, malaq; potissimum rosea, appiaq;, quæ tamen prius fuerint adseruata, paucissima, raroq; offerri debent: & pruna syriaca, hibericaq; recentia, & exiccata, inq; mellicrato mellitiore decocta ante omnem cibum esitata, uentri mouendo sunt idonea: potissimum si prandium non statim sed aliquãto post interuallo inchoetur. Cydonitis etiam, præsertim post cibum, si albi piperis aliquantum, ac gingiberis susceperit, idonea existimatur. Brassica, etsi succum parit melancholicum, propria tamen facultate comitialibus conferre existimatur. hanc enim Dioscorides tremori auxilio esse scripsit: nihilq; hac magis neruos tueri Erasistrati sectatores dicebant. Galenus uero ebrietatem ea ratione auferre, qua uapores cerebrum impetere prohibet: ueluti & Aristoteles in proble-

Diosc. lib. 1. c. 184.

Gal. 2. de fac. al. c. p.

lib. 2. can. 1.

In responso pro puero cõ.

brassica

lib. 2. c. 133.

Sect. 3. prob. 17.

blematis ſcriptum reliquit. In comitialibus igitur inter dum improbanda non eſt: in eo præſertim genere, quod a pituitoſo progignitur humore / Beta item aſparagus, cinara, & quæcunque tandem calfaciendi atque ſiccandi uim poſsident, non prohibentur. Lactuca uero, atque intyba magni tamen æſtus tempore conceduntur. atq; ut ſumma quadã cibos, qui praui ſunt ſucci, cõprehendã omnes, qui aut aluũ cohibẽt, aut flatuoſi, aut cõcoctu difficiles exiſtunt: aut alioqui frequẽtius, aut plus æquo ſumuntur, non huic ſolũ morbo, ſed & cæteris oĩbus obeſſe conſueuerũt. Cibi igitur potiſsimũ pituitoſi obſeruãdi, qui ẽt ſi cæteris ſint non ſalubres, quãdo tamẽ ſuccũ aut lentum, aut craſſum aut frigidum habent, raro deſumẽdi ſunt. tales autem ſunt attriplices. blitum, malua, a quorum quidem uſu non omnino ſunt prohibendi: ſed ne aſsidue iſtis utantur, interdicendi. Huius generis ſunt & colocynthis & hac magis etiam cucumeres, & malo pepones, & mala, & pyra & id genus reliqua, quæ robuſto quidem uiro ſuperuacua ſunt: nonnullis uero guſtatu tenus præbenda: mala eſt enim horum multitudo quũ frigida ſint, atque humida. ſimiliter & rapa, & cuncta, quæ radicem edendo habent. prætera quæ acrimoniam caloremq́ue obtinent: ex quo genere ſunt omnia, quæ calore caput opplent: ſicuti uinum, napy, hyppoſelinum, radicula, rhaphanus, crocyum, ſmyrnium: hæc enim ſupra modum æſtuantia, humorumq́ue pernicioſorum exiſtunt: Napy, quanquam appoſitiſsimum alioqui ad craſſos humores diſsipandos: hic tamen ut caput impetens uitandum eſt. His autem cibis ueſcantur, quicunq; acerbitatis quiddam, & acrimoniæ citra effatu dignam, κακοχυμίαν odoremq́ue capiti grauem habent. Panis ex optimo tritico fiat, non diu molito, quando farina uetus aceſcit: recte fermentatus, modice ſalitus, probe confectus, & in furno, moderato calore, optime coctus, recens, & qui ſecundum diem non excedat. Probe autẽ conficietur ſi multũ manibus elaborabitur: ex hac enim ſubactione diſſolutio fit farinæ cõtinuitatis, in parteisq; uarias

Ariſ. ſec. 21. proble. 8.

Lactuca
Intyba

uarias diuiditur, glutinosaq; illa continuitas dissoluitur, friabilisq; magis efficitur, quamobrem melius cõcoquitur faciliusq; madescit. Hic igitur panis frigidus comedendus, alioqui si calidus esitaretur, & sitim pareret, seroq; in uentre descenderet, illumq; subito repleret. & si Auicennas calidum facile concoqui, seroq; descendere dicit: à quo tamen Zoar ille uir (uti aiunt) in medicina exercitatissimus dissentire uidetur. si quidem calidũ panem a natura non recipi, difficileq; concoqui uoluit. Ego tamen Auicennæ codicem corruptum, neque facile, uerum difficile legendum esse semper existimaui: neque enim fieri potest, ut quod facile coquitur, difficulter descendat: quæ enim coctu facilia sunt, facile etiam citoque imum uentrem subeunt. nam quæ in pane actu reperitur, caliditas coctionem iuuat quidem, sed quando sero deducitur ad imum uentrem, quo loco cõcoctio perficitur, difficulter etiam concoquitur. Fermenti uero & salis quod satis est, panis hic recipiat, uti glutinosæ farinæ qualitas per illud, per alterum nempe salem humiditas auferatur. Tantũ igitur fermenti recipiet, quod & gustui faciat satis, neque acorẽ præseferat: alioqui improbaretur, ut qui succos improbos progigneret, facileque putredinem susciperet. Ac de pane quidem satis hæc dicta sunto, quæ cognitionem habent facilem, usum necessarium.

Hipp. lib. 2. de rõne uic. acut. t. 34.
lib. 2. Canon. c. 1.
lib. Theisir.
Auer. lib. 5. collec. c. 31.

Nunc deinceps carnium uim & naturam, quarum est sylua magna, consideremus. inter quas eæ maxime probantur, quæ a perdicibus, phasianis, capis libere educatis, gallinaceis, gallinisque desumuntur. columbi item gregatilis, turdi, & auicularum, potissimum quæ montanæ, & quæ in dumetis uersantur. Cæterum ut methodo quadam, quæ comitiali malo obnoxiis carnes probantur, comprehẽdamus, operæprecium facturus uidebor, si ea quæ in commentariis de facultatibus alimentorum Galenus memoriæ prodidit, huic transferam. inter eas uero quæ comeduntur carnes, quæ ab animantibus iis desumuntur, quæ uolatu fidunt, maxime probantur, ut

lib. 3. c. 17.

quæ leuiſsimum alimentum afferunt, faciliusque quam quadrupedum concoquuntur. inter quas tamen & hædi concedũtur: ut qui probioris faciliorisq; concoctu ſucci carnes præbeant. Sex igitur ordines inter auium carnes ab eodem ponuntur, in quorum primo perdices attagenæ, columbæ, gallinacei, & gallinæ, phaſianiq; numerantur. Turdorum uero merularum paruorumq; paſſerum caro, quo etiam numero turricolæ nuncupati habentur, illis durior exiſtit, ſecundumq; in coctione ordinem ſortiuntur. has ipſas turturis, palumbi, anatisq; caro duricie etiã ſuperat: quibus omnibus durior coctuq; contumacior, fibroſiorque pauonis eſt pulpa: poſt quã anſeres, & ſtruthocamæli reponũtur, quos demũ grues excipiunt, quæ ſextum ordinem obtinent. Cæterum illud perpetuo in hoc affectu eſt obſeruandum, ut, quoad eius fieri poteſt, carnes ſemper calidiores ac ſicciores
13. 3. tr. 1. c. 33. offeramus. Verum enimuero unum me ex Galeni uerbis maxime commouit: quod columbaceis primum in coctione ordinem dedit: quos tamẽ Auicennas feræ cõcoctionis eſſe teſtatur. ſi tamen penitius introſpiciamus, utrumque uera dicere comperiemus. quam autem ob rẽ illud fiat, accipito. Galenus enim dum methodum uniuerſalem quandam nos docet, qua probioris ſucci carnes ab improbis ſeligere ualeamus, illud inquit, & ex iis quæ pedibus, & iis quæ uolatu magis nituntur, commune noſſe oportere carnem adoleſcentium longe præſtantiorem, quam ætate iam ingraueſcentium eſſe: florentium, in utriuſque medico cohærere: noxiam non admodum nouellorum, diuerſaque ratione admodum uetulorum. horum enim duram, ſiccam, neruoſamque eſſe carnem, ideoq; exigui nutrimenti, concoctuque contumacem. contra nuperrimi editorum mucoſam, excrementisque refertam, leuius tamen aluum ſubire. Horum autem in cunctis animantibus meminiſſe oportere, omnibus nimirum communiter, & ex æquo has differentias, quas ab ætate deſumpſimus, inhærere. Quod igitur ait Galenus columbas facile concoqui, eas, quæ iam adoleſcunt,

ſcunt, quas præſtantiores eſſe uoluit, intelligit, quæ nimirum uolare occipiunt, maioresque ſeipſis pullis exiſtunt. id quod etiam Auicennas, & Auerrhous in collectaneis confirmant. quod ſi Auicennas alibi columbaceos pullos feræ concoctionis eſſe dicit, non hos, ſed illos, qui nouelli, & adhuc uolatu non fidunt, intelligit: quorum caro noxia eſt: ueluti & cæterorum huius ætatis animantium. columbæ igitur ætate florentes, ut quas cal faciendi uim obtinere Auicennas uoluit, in his affectibus idoneus cibus habeatur. Quoniam uero inter columbos alii ſunt gregatiles, ſilueſtres alii, qui aliarum auium more in arboribus degunt, & qui uulgo Palumbi nuncupantur, horum carnes morbis id genus frigidis, in primisq; comitialibus, & attonitis omnes fere ſcriptores Arabes prodeſſe uoluere. Galenus uero nil alius de his ſentit, quam quod in tertio coctionis ordine eos reponit. in eo autem qui de uictu attenuante inſcribitur commentario difficilius turdis illos concoqui, multorumq; carnem excrementorum præſtare uoluit. Inſequuta tamen ætas propria quadam facultate mirandum in modum hos affectibus conferre obſeruauit. nec mirum, quando noui ſemper aliquid in arte medica reperitur, quod uetuſtiores medicos latuit. Sunt igitur in hoc affectu palumbi expetendi, qui & ſi concoctu contumaciores habeantur, præparatione tamen, & contritione facilius concoquuntur. Quid quod & Auerrhous etiam ait carnem ueteris columbi & maris comitiali malo, & neruorum reſolutioni perpulchre ſubuenire. Caput præterea ac cerebrum leporis quum Auicennas & Zoar, tũ carnem totam Galenus maxime probant: quæ etſi ex quadrupedibus animantibus ſunt deſumpta, neque probi admodum ſucci exiſtunt, ob eam tamen, quam cum his affectibus habent familiaritatem, innoxie ſunt offerenda. ſiquidem experientia cõſtare Zoar aſſerit, tremori partium corporis, earumq; motus ac ſenſus priuationi non minimum opitulari: id quod antiquiorum nullus medicorum ſcriptum reliquit. ea enim fuit hominis quũ

lib. 2. Can. c. 1.

lib. 5. collec. c. 32.

lib. 5. collec. c. 32.

lib. 1. i proœ. & trac. 9. c. de apoplex.

diligentia, tum doctrina, ut multa nobis experimenta ratione comprobata reliquerit. neque ſolum illum, ſed & Auerrhoum & Razem laudo: qui etſi plura a uetuſtio ribus deſumpſere, multa tamen in medicina perutilia re periere. Quid etiam quod coturnices itidem laudant, boniq; eas ſucci eſſe teſtantur? quas tamen Galenus re-
lib. 6. epid. ſec. 5. t. ult. probat: quando ſeſe inquit Athenis uidiſſe omneis, qui coturnicibus ueſcerentur, conuulſos ea ratione fuiſſe, quod coturnices ueratri ſemine, ut pote nocentiſsimo nutrirentur. Auicennas item addit, non tantũ quod ueratri ſemine alantur, conuulſionem parere, neruisq; ob eſſe, uerum propria quadam atque inſita facultate illud idem præſtare. qui tamen Galeno, & Razæ, a quibus omnia fere deſumpſit, aduerſari uidetur. ſiquidem alter uigeſimo ſecundo continentis libro, alter loco iam cõ-
cap. 1. memorato non aliam ob cauſſam coturnicum alimentũ reprobat, quam quod ueratri ſeminibus ueſcuntur, quæ
lib. collec. 5. cap. 32. conuulſionem pariunt. Auerrhous item eaſdem probi eſſe ſucci, conuulſionemque haudquaquam parere memoriæ prodidit. Sexto præterea de tuenda ualetudine dũ uictus attenuãtis methodum tradit, Galenus montanas omneis aues laudat, ueluti & tertio de facultatibus alimentorum libro, ubi omnes, præter paluſtres & aquatiles recipit. quibus omnibus fit, ut non aliam ob rationem coturnices pariant conuulſionem, niſi dum ueratri ſemine ueſcuntur, alioqui probi eas ſucci eſſe crediderim. etſi Plinius non tantum, quod ueratri ſemina depa
lib. nat. hiſt. 10. cap. 23 ſtæ fuerint, uerum ob comitialem etiam morbum, quẽ ſolæ animantium ſentiunt præter hominem, a menſis deſpui damnarique dicit. non eſt tamen quod earum caro improbi ſit ſucci exiſtimanda: quando & pecudes, potiſſimumque oues, & capræ comitiali morbo capiuntur: quarum tamen caro iuuenum in primis nõ improbatur. Cæterum ut omnis rei difficultas auferatur, tutius fuerit ab eis abſtinere, quum præſertim melioris ſucci carnes præſto ſint. etſi enim coturnices in Italia hoc mali non afferant, ea fortaſſe reddi poſſet ratio, uel quod ueratri

ſemine

ſemine non ueſcuntur, uel quod non frequens admodū eſt earum uſus. quandoquidē Galenus eos dicebat, qui aſsidue coturnicibus Athenis ueſcerentur, conuulſione captos uidiſſe. Hæc igitur ſunt fere horum ſimilia, uel plura etiam eſſe poſſunt, quæ morbo huic conferre creduntur, ſi rite parata, modiceque deſumpta fuerint, quæ quidem ſi cum condiendi definitionibus, & exemplis effudero, abunde me huic negotio ſatisfeciſſe exiſtimabo. Tria ſunt igitur, quibus ad parandas ægrotis dapes uti debemus, aut aſſatio, aut in patinis conditura, aut elixatio. quorum primum genus, quoniam ſicciorem hic morbus exigit, atque calidiorem uictus rationem, magis conuenire, quam ſecundum, atque illud magis, quam tertium uidemus, nimirū, quia aſſata ſiccius præſtant alimentū. quæ uero in patinis condiuntur, etſi eorū ampliſsima habeatur ſylua, ſi tamen calidioribus ſiccioribusque condimentis cōdiantur, uel calidiora, ſiccioraue pro eorum, quæ apponentur, facultate euadēt. Quæ uero elixæ ſunt carnes, quum multam ab aqua humiditatem, frigiditatēque obtineant, quibus huic morbo oportuna edulia priuata eſſe debere nemo non probat, propterea deſpiciuntur. Neque inficias ibimus, ſi Ariſtotel. quarto τῶν μεθεορολογικῶν libro aſſas inquit carnes elixis humidiores eſſe, magisque propterea nutrire, quando diuerſa ratione aſſa humectare creduntur, & elixa. hæc enim ab externa aquea humiditate, illa propria, ſibique inſita humectare exiſtimantur. In his igitur morbis humiditas illa propria, quæ in aſsis reperitur, non deſpicitur: ſiquidem minus neruos tentat, quam quæ ab aqua in elixis acquiritur. Aſſa igitur in his morbis magis expectentur. quod ſi elixis etiam uti uolueris, anethum, porrum, oleum, ſalemq; habere conuenit, ita enim utiliores euadent. Tantiſper uero animantium carnes præmortuæ fuerint, quo & guſtui ſuauiores, minusque cōcoctu contumaces fiant. in quibus is perpetuo ſeruādus eſt ordo, quem Galenus in commentario de uictu attenuante nos docuit: dum animantes ait, quæ carnes habent

bent modice duras,& quæ in primo facilitatis coctionis ordine numerantur, quales sunt, quæ a perdicibus, columbis, gallinis atque id genus reliquis desumuntur, satis esse, si pridie emortuæ fuerint, quo tempore carnis duricies emollescit: faciliusque postmodum concoquitur. carnes igitur nō admodū duræ pridie tantum necandæ, quàm esitētur, quæ molliores, minus una die,& quæ duriores, longiori prius tempore occidi debent. Septimo uero medendi methodi libro carnem inquit iuuenis
cap.61. porculi esse debere, satisq; esse si pridie iugulatus fuerit, nam hesternum, quam recens necatum facilius concoqui. Aestate sat esse, si mane emortuus fuerit, ac circa solis occasum comedatur. quibus ex uerbis colligitur, carnem per diem, quod magis est, emortuam sinendam, antequam comedatur, uti facilius concoquatur. Cæte-
in pro. c.1. Theisir. rum Zoar carnes illico præcipit esse comedendas, quum animantes fuerint iugulatæ, duodecimq; tantummodo hyeme horas, æstate septē ab animantiū nece dura carne præditorum statuit: ea nimirum ratione, quod quanto diutius emortuæ carnes permanserint, tanto magis putredini fiunt obnoxiæ: & quo magis putredinē sentiunt, eo deterius alimentum præbent. Tamdiu igitur carnes emortuæ sunto, quamdiu molliores fieri sentiantur. Hactenus cibi omnes.

Nunc potum, eiusq; differentias persequamur. Quoniā uero alius est potus, dum quis ægrotat, alius dum præseruatrice utitur medicinæ parte: eius nūc meminisse operæprecium fuerit, quo in præseruatione uti debemus, a uino exorsi, de eo, qui in morbi curatione ex usu esse existimatur, ueluti & de cibis, inferius disputaturi.

Gal. de attenuante uictus ratione. Paul. libr. 3. c.13. Vinum igitur dulce, crassum, turbidum, nouum, nigrum omnino dimittendum. Flauo, uel subflauo facultatis tamen imbecillis, aut probe diluto, tenuisq; substantiæ, ac modice utendum. potissimumq; ubi recte corpus uniuersum præpurgatū fuerit. alioqui frigidi illi succi a uini caliditate liquefacti per uniuersū corpus dissiparentur. Vinum igitur largius sumptum, & a balineo maxime, me-

racum

racum, uetustum, acre, quod odore caput mouet, repletq;, omnino cauendum. Quod si quis ipsum scite bibat, nō omnino malum fuerit. Nam reuera si moderate bibatur, & concoquet, & distribuet, & sanguinem progignet, & nutriet. proindeq; Zeno, uti ferunt, dicere solebat, quemadmodum amari Lupini aqua macerati dulcescunt, ita se quoque a uino affici. Plenitudine igitur existente, & capitis grauitate imminente, a uino, quodcunque fuerit, abstinendum. Neque mehercule mihi admodum probantur, qui paucifero tātum uino utuntur, quando uinum omne somnum conciliat. non igitur morbi initio propinandum, uerum diutius aquam bibere expedit, aut oxymali, quod tamen probe paratum, neque extemporaneum fuerit, atq; multa aqua temperandū, ita enim dulcius fiet, sitisq; in primis expers. cæterum quo pacto sit illud parandum, infra commonstrabitur. Nunc de cænæ ac prandii quantitate non in hoc tantum, sed & aliis permultis sine febre magnis morbis, quando authores inter sese dissidere uidētur, dicendum uidetur. Cæna igitur prandio maior fuerit, diuiso, qui quotidie comeditur, pane (is uero minor esto, quàm ægri saturitas quæritet,) in partes treis: cuius tertia prandium constituat, cum iis, quæ aluum molliorem efficiant, esitata: qualia sunt holera, aut salsamenta, aut ptissana probe parata, aut oliuæ: reliquæ uero duæ panis partes in cæna cū maioris nutrimenti obsoniis absumantur. ita enim fieri debere nos monet Galenus. Neque propterea Auicennæ uerba nos perturbent, dum ait: Et ille cuius consuetudo non tolerat, ut semel reficiatur, diuidat cibum suū, qui sit minor saturitate sua, in partes treis, & sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cæna post exercitiū subtile. Siquidem codex ille corruptus existit, Galenoq;, quem hoc loco imitatus est, maxime repugnat. hic enim in eo quod pro puero comitiali fecit respōso maiorem prandio cænam esse uoluit. quid quòd etiam capite de apoplexia solo pane in attonitis prādium cōstitui, in cæna uero aliis ipsos cibis cum pane uti debere uoluit? *pr.3.tr.5.c.11.*

Quòd

Quòd autem attonitus comitialisq; affines sint, idemq; propemodum morbus habeantur, differant tantum pro maiori minoriue periculo, eandemq; propterea & curationem, & uictus rationem exposcant, nemo non probat. Idipsum & Aetius cap. de inflatione ex Galeno clarissime docet his uerbis. Cibus autem ipsorum diuidatur, ita ut in prandio tertiam, in cæna uero reliquas duas accipiant parteis. Quòd Auicennæ etiam locus capite proprio sit mendosus, uel Razæ testimonio comprobatur, qui cænam ampliorem prandio comitiali malo affectis exhibendam esse contendit. ita igitur locus ille erit restituendus. Et sumat duas tertias in cæna, & tertiam eius in prandio post exercitium subtile, & si Actuarius secundo de actionibus & affectionibus animalis spiritus libro appositum senserit, ea fortasse de caussa, quòd Galeno, cæterisq; clarissimis medicis posterior admodum fuit. hic enim uiuendi eundem seruabat morem, quo nos in præsentia utimur: quum Galeni tempestate & prandium & cæna eadem perpetuo hora tum æstate tum hyeme pararetur. Siquidem prisci illi diem, quicunque ille fuisset, aut æstiuus, aut hibernus, in horas duodecim diuidebāt: ad cuius tertiam prandebāt, cænabant ad nonam. quumq; superessent horæ diei tres post cænam ante solis occasum, (quatuor enim uentriculo ad concoctionem cibi ingesti adscribuntur horæ:) ideo lautius, copiosiusq; cænabant: haud ueriti uapores, qui a copiosiore cœna efferuntur ad cerebrum, quum iam discussi fuissent, antequam dormiēdi instaret necessitas. Actuarius uero, ut qui morem hodiernum in exhibendo cibo seruabat, in quo per horam, aut quod magis duabus a somno abstinemus, minorem prandio cœnam esse uoluit: ut qui si copiosior foret cœna, ob somnum imminentem caput multis uaporibus repleri, atq; ita spiritus illos animaleis lædi posse existimaret. Accedit his, quod quum in idgenus frigidis morbis multa adsit cruditas, si statim post cænam uberiorem somnus accedat, ueluti hodie obseruamus, multi adeo uapores confertim cerebrum impetent,

lib. 1. contin. c. 6.

cap. 10.

impetent, ut ipſum maxime oppleant, atque refrigerẽt, affectionesq́ue non nunquam lethargicas pariant: qui poſtea ad uentriculũ delapſi coctionem impediunt, cruditatesq; pariunt: partesq́ue maxime augent. Galenus uero qui Actuario uetuſtior erat, uetuſto etiam more cænam prandio maiorem fore ſcriptum reliquit. Maior igitur tunc cæna fuerit, quum interſtitii tantum ab ipſa ad ſomnum interceſſerit, uti uapores ab copioſiore ingeſto cibo elati diſcutiantur atque diffl entur. id enim (ueluti præceptum fuit) quatuor horarũ ſpatium fuerit. quòd ſi minus, parciori cæna utendum: tantumq́ue nihilominus interualli affuerit, quantum cæna, quæcunque ea demum fuerit, in uentriculo probe concoquatur. Tertiam igitur circiter diei horam tertia eius panis offeratur portio cum holeribus aluum ſubducentibus, aut colymbadibus oliuis, aut capparibus oxymelite conditis, aut caricis, aut aliquo alio aluum moliente obſonio. in cæna quæ reliquæ ſunt duæ panis partes iiſdem, quæ probatæ fuerunt, carnibus offerantur. illud ſummopere cauentes, quòd ſi comitialis acceſsio, quæ temporum interuallis redire ſolet, noctu obueniret: aut artificioſa quadam coniectura noctem moleſtam ob acceſſionẽ fore conſequi poſſemus: tunc cæna breuior eſſe deberet. dum tamen illud nos lateat, coniectariq; nequeamus, plenior cæna eſto. Hactenus igitur uictus ratio. Illud autẽ uolumus intelligi nos probe tenere aliis quoque rationibus tractari quæſtionẽ hanc in medicina multis & obſcuris: uerũ illæ nobis abhorrere ab uſu medico uidentur. Quæ pertinere ad hunc morbum curandũ putamus, ea nos commodius quàm cæteros attendiſſe non affirmamus, ſed perquiſitius & diligentius conſcripſiſſe pollicemur.

Nunc, ut inſtituimus, proficiſci ordine ad reliqua pergemus: nempe quo modo, & quibus remediis curandi iam commemoratis rationibus facere ſatis ualeamus, eorumq́ue commodum uſum tum temporis ratione, tũ quantitatis ſubnectentes. Cæterum illud prius cogno-

ſcendum eſt,quod quum morbi huius, quo de agitur,materia non eadem perpetuo, uerum aliquando pituitoſa, melancholica interdum exiſtat: an et qui ab atro humore morbus progignitur, eiſdem perpetuo remediis, quibus & pituitoſus, curetur. quandoquidem omnes fere iisdem propemodũ auxiliis pituitoſos cerebri affectus, quibus & melancholicos adiuuant. Vt enim inter multos capitis dolorem referam, eãdem & cephaleæ ab atro humore conſtitutæ curationem adhibent, qua & a pituitoſo factæ utuntur. etenim ſecundo de medicamentorũ compoſitione ſecũdum locos Galenus capitis dolorem a calida & frigida cauſſa prouenientem tantummodo diſtinguit, calidumque a bile & ſanguine fieri, eum uero, qui a frigida, non item: utrum ſcilicet ab atro pituitoſoue fiat humore. eundem morem & alii clariſsimi ſcriptores Paulus, Aetius, Alexander, Razeſque ſeruarunt.
in proœ. c. 1. Sed, ut a Raze incipiam, ſemetipſe declarat primo ad Regem Manſorem libro, ac decimo, cauſſamque cur frigidum dolorem non diſtinxerit, apponit. ſiquidem ſtudioſis, & ſi rei medicæ operam non nauarint, uelle tamen ſe ſe auxilio eſſe ſcribit: ideoque non ea ſcripturum, quæ raro obueniunt, nec quæ acutam ex poſcunt perſcrutationem, pollicetur. Quum igitur ſtudioſis tantum rei medicæ ſcriberet, qui per ſeſe optime nouerunt, num dolor, aut quiuis alius capitis affectus ab atro aut pituitoſo fiat humore, eapropter diſtinctionem non attulit. cæteri uero ea ratione non diſtincte locuti ſunt de affectib⁹ ab atro pituitoſoque humore prouenientibus: quòd quum ater humor in capite redundat, non dolorem tantum parit, uerum & melancolichum affectum, cuius curatiua methodus ex proprio capite deſumi põt. Quod ſi præter dolorem, alium quempiam pariat affectũ, qualis ſane eſt catalepſis, aut comitialis, aut lethargus, aut reliqui id genus morbi, horum omnium curatio locis propriis petenda eſt. quum uero non tantus fuerit, uti uel melancholicum, uel dictorum quempiam affectum, uel dolorem tantum efficiat, qui & a pituitoſo etiam hu
more

more fieri poteſt, dolor ille a quouis fiet humore, eiſdē fere auxiliis curabitur. quando nullum inter eos diſcrimen aliud habetur, quàm quod niger humor maiori æger attenuatione & calefactione, pituitoſus abſterſione minus ille ſecantibus, hic ualide abſtergentibus atque ſecantibus, medicamentis concoquitur. purgante quinetiam medicamento in atro humore quod atrum, in pituitoſo, quod pituitoſum magis expurget, uti ſolemus. Quum igitur hi proximi affectus habeantur, inque omnibus, præter quàm in coctione ac purgatione curatricibus rationibus conueniant, non iniuria eadē methodo cutratrice ueteres in iis abigendis morbis uſos fuiſſe exiſtimandum eſt. Scopi igitur in remediorum uſu ad morbos profligādos adhibendo ex Galeni arte medicinali deſumuntur. quo ſane loco nos admonet, ut ſi materiam quampiam aliqua corporis in parte defluxam amouere animus ferat, altero horum modorum auferendam eſſe, nimirum, aut quod retrocedat, aut quod per affectam partem uacuetur: retrocedet autem uel impulſa, uel attracta, uel tranſmiſſa, uel aliquo uno horū modorum, uel omnibus. Per locum uero affectum uacuabitur, partim quidem manifeſto, & ſenſiliter, partim uero per habitum digeſta. Hos autem recte exequi nequimus, niſi prius corpus uniuerſum uacuatum fuerit. Nam ſi ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſiliter uacuabitut, plus ratione excitati doloris attrahetur. quòd ſi calefacientibus diſpergere tentabimus, plus erit, quod ui coloris ad partē attrahetur, quā diſperſum fuerit. quòd ſi in eo elaborabimus, ut quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet. Ad hæc igitur ambo corpus uniuerſum prius uacuare neceſſe eſt. Primus igitur ſcopus nō in hoc tātū morbo abigēdo, ſed & aliis quā plurimis, totius eſt corporis uacuatio, quē ſequitur reuulſio, tertius erit repulſio, quartus materiæ concoctio, quintus uacuatio, ſextus partium imbecilliū roboratio, caſuumque, ſi qui affuerint, ammotio. Corporis igitur uniuerſi uacuatio, quum bifariam perficiatur, nimirum ſanguinis miſ- cap. 95.

 ſione

ſcendum eſt,quod quum morbi huius, quo de agitur,ma teria non eadem perpetuo , uerum aliquando pituitoſa, melancholica interdum exiſtat: an et qui ab atro humo= re morbus progignitur, eiſdem perpetuo remediis, qui= bus & pituitoſus, curetur. quandoquidem omnes fere iisdem propemodũ auxiliis pituitoſos cerebri affectus, quibus & melancholicos adiuuant. Vt enim inter multos capitis dolorem referam, eãdem & cephaleæ ab atro humore conſtitutæ curationem adhibent, qua & a pitui toſo factæ utuntur. etenim ſecundo de medicamentorũ compoſitione ſecũdum locos Galenus capitis dolorem a calida & frigida cauſſa prouenientem tantummodo di- ſtinguit, calidumque a bile & ſanguine fieri, eum uero, qui a frigida, non item: utrum ſcilicet ab atro pituito- ſoue fiat humore: eundem morem & alii clariſsimi ſcri- ptores Paulus, Aetius, Alexander, Razeſque ſeruarunt.
in proœ. c. 1. Sed, ut a Raze incipiam, ſemetipſe declarat primo ad Re gem Manſorem libro, ac decimo, cauſſamque cur frigi dum dolorem non diſtinxerit, apponit. ſiquidem ſtudio ſis, & ſi rei medicæ operam non nauarint, uelle tamen ſe ſe auxilio eſſe ſcribit. ideoque non ea ſcripturum, quæ raro obueniunt, nec quæ acutam exposcunt perſcruta tionem, pollicetur. Quum igitur ſtudioſis tantum rei medicæ ſcriberet, qui per ſeſe optime nouerunt, num do lor, aut quiuis alius capitis affectus ab atro aut pituito= ſo fiat humore, eapropter diſtinctionem non attulit. cæ teri uero ea ratione non diſtincte locuti ſunt de affectibꝰ ab atro pituitoſoque humore prouenientibus: quòd quum ater humor in capite redundat, non dolorem tan tum parit, uerum & melancolichum affectum, cuius cu ratiua methodus ex proprio capite deſumi põt. Quod ſi præter dolorem, alium quempiam pariat affectũ, qua- lis ſane eſt catalepſis, aut comitialis, aut lethargus, aut reliqui id genus morbi, horum omnium curatio locis propriis petenda eſt. quum uero non tantus fuerit, uti uel melancholicum, uel dictorum quempiam affectum, uel dolorem tantum efficiat, qui & a pituitoſo etiam hu
more

more fieri poteſt, dolor ille a quouis fiet humore, eiſdē fere auxiliis curabitur. quando nullum inter eos diſcrimen aliud habetur, quàm quod niger humor maiori æger attenuatione & calefactione, pituitoſus abſterſione minus ille ſecantibus, hic ualide abſtergentibus atque ſecantibus, medicamentis concoquitur. purgante quinetiam medicamento in atro humore quod atrum, in pituitoſo, quod pituitoſum magis expurget, uti ſolemus. Quum igitur hi proximi affectus habeantur, inque omnibus, præter quàm in coctione ac purgatione curatricibus rationibus conueniant, non iniuria eadē methodo cutratrice ueteres in iis abigendis morbis uſos fuiſſe exiſtimandum eſt. Scopi igitur in remediorum uſu ad morbos profligādos adhibendo ex Galeni arte medicinali deſumuntur. quo ſane loco nos admonet, ut ſi materiam quampiam aliqua corporis in parte defluxam ammouere animus ferat, altero horum modorum auferendam eſſe, nimirum, aut quod retrocedat, aut quod per affectam partem uacuetur: retrocedet autem uel impulſa, uel attracta, uel tranſmiſſa, uel aliquo uno horū modorum, uel omnibus. Per locum uero affectum uacuabitur, partim quidem manifeſto, & ſenſiliter, partim uero per habitum digeſta. Hos autem recte exequi nequimus, niſi prius corpus uniuerſum uacuatum fuerit. Nam ſi ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſiliter uacuabitut, plus ratione excitati doloris attrahetur. quòd ſi calefacientibus diſpergere tentabimus, plus erit, quod ui coloris ad partē attrahetur, quā diſperſum fuerit. quòd ſi in eo elaborabimus, ut quod influxit, retrocedat, corpus plenum non admittet. Ad hæc igitur ambo corpus uniuerſum prius uacuare neceſſe eſt. Primus igitur ſcopꝰ nō in hoc tātū morbo abigēdo, ſed & aliis quā plurimis, totiꝰ eſt corporis uacuatio, quē ſequitur reuulſio, tertiꝰ erit repulſio, quartus materiæ concoctio, quintus uacuatio, ſextus partium imbecilliū roboratio, caſuumque, ſi qui affuerint, ammotio. Corporis igitur uniuerſi uacuatio, quum bifariam perficiatur, nimirum ſanguinis miſ-

cap. 95.

sione, ac purgatione: a sanguinis missione perpetuo incipere debemus. ita enim Hippocrates, ipsumque sequutus Galenus præceperunt. An uero in comitiali morbo mittendus sit sanguis, ex morbi magnitudine quis coniectabitur. si enim morbus, quicunque is fuerit, magnus existit, ætate, uiribusque constantibus perpetuo mittendus est sanguis, ueluti quarto de ratione uictus in morbis acutis libro Hippocratus scriptum reliquit per hæc uerba.

lib. 4. de rōne uic. acut. morbo. t. 20. lib. 4. meth. medendi cap. 6.

t. 24.

Quod autem quis repente obmutescat, uenarum intercaptiones occlusionesque faciunt, si sano absque occasione, uel ingenti aliqua caussa id contigerit. quem locum exponens Galenus per ἀφωνίαν hāc, idest uocis carentiæ casum, inquit, huiuscemodi casus Hippocrates sententiauit, nempe comitiales attonitos, syncopas cardiacas, in quibus omnibus uocis defectus conspicitur. His igitur quum plurimum a pituitoso constituantur humore, mittendnm tamen sanguinem esse præcepit contextu sequenti, dum ait. Venam igitur brachii dextri internam secare oportet. illudq; ipsum in his affectibus confirmat Galenus libro de morbis curandis duodecimo, ubi & in lethargo, caro, catocho, attonito, comitiali inter initia sanguinem mitti debere contendit, dū ita scribit. Itaque secanda in talibus affectibus uena est statim ab initio, si modo tum ualens uirtus sit, ut sine noxa sanguinis missionem ferat, ac nihil eorum prohibeat, quæ de secanda uena retulimus, sicuti, uel crudi humoris copia, uel puerilis ætas, uel anni tempus, regio ue, in qua sit extremus aut calor, aut frigus, & reliqua. Neque propterea sanguinis missionem prohibet ea Galeni uerba, Nempe si adsit crudi humoris copia, quando non de crudis humoribus in uenis existentibus sermo ipsi est, uerum de iis, quæ in uentre, atque uentriculo tantum modo continentur. quemadmodum libro eiusdem nominis nono atque undecimo seipsum declarat. quos locos referre uisus est, dum ait. ac nihil eorum prohibet, quæ de secanda uena retulimus. Sanguis igitur inter

t. 25.
cap. 18.
cap. 5.
cap. 14.

horum

horum morborum initia mittendus est. etsi Razes, ac Mesuæus huius alioqui necessarii remedii in comitialis morbi curatione non meminerunt. rati fortasse in morbis frigidis sanguinem mittendum non esse, sed profecto Galeni sententiæ immemores fuisse uisi sunt: qui in morbis magnis perpetuo uenam secundam esse contendit: modo eorum, quæ dicta sunt, de pertundenda uena præceptorum nihil prohibeat, quum tamen Auicennas, Paulus, Aetius, Galenus, cæterique methodum uniuersalem constituerint, nempe quod in omni magno capitis morbo semper sanguis mittatur. cui auxilio si morbus omnino nō cesserit, medicamento postmodum purgante utēdum esse uoluere. Nunc, quæ uena sit in comitiali morbo pertundenda, consideremus. illud autem his potissimū notis deprehendemus. nempe si capitis uena tumens plenaque appareat, tunc enim non ab uniuerso tantum corpore sanguinem mittendum, sed & a capite indicat. Quòd si neque illius uenæ tumor, ruborque & plenitudo affuerit, interna tunc incidenda occurrit: hæc enim uelocissime & plurimum ex his, quæ principes sunt partib[us] corpus euacuat, atque in acutissimis propterea morbis ad eam sese confert Hippocrates. hæc autem dextri brachii interna esto: ut quæ iecur magis spectet: a qua tantum sanguinis auferatur, quantum medicis, qui eorum curationi præsto erunt, satis fore uideatur: neque enim huc omnia conferre nobis consilium fuit, qui methodū tantum hos curandi morbos docere proposuimus. Vbi igitur uel nausea, uel retundantis in uentriculo pituitæ nota affuerit, uomitus præcipue citabitur: si ægrotus aut facile uomat, aut uomitui fuerit assuetus. deinaluus subducetur eorum aliquo, quæ leniendi facultate prædicta sunt, medicamentorum, quibus rite procuratis in præseruatione sanguis statim ex poplite, aut talo mittetur: ueluti nos admonet Galenus. quòd si comitialis accessio paulo ante facta fuisset, materia iam in capite redundante ex humerali potius detrahendus, præsertim quum ægrotus ab accessione conualuerit: ac ui- ribus

lib. 4. de morbo acut. rōne t. 22.

in cōmen. de curatione per sanguinis missionem.

ribus antea recreatis. His igitur rite peractis magnitudo morbi exquirit, uti corpus etiam uniuersum purgetur: quibus uero medicamentis, diligenter attendere oportet. nam & potionibus purgantibus, acrioribusq́; clysteribus uti possumus. Quod enim ex sanctimonia medicamentum, castorioq́; cōficitur, mirandum probatur in modum. Habet autē castorii scrupulos duos, treisue, sanctimoniæ scrupulum: hoc enim pacto Alexander Trallianus Paulus, & Auicennas conficiunt. Neque mehercule sunt audiendi, qui, priscos authores improbantes, sanctimoniā aiunt in morbis hisce frigidis ex usu non esse: quum potius colocynthis, agaricus, turpethe, atque id genus medicamenta essent deligenda. quæ res a ueritate quantum sit aliena, ex eo cognoscemus, siquid sanctimonia purget exacte sciemus. Dioscorides igitur bilem atque pituitam per inferna ducere, Paulus flauam magis bilem quàm pituitam purgare ait: pituitam igitur una cum bile, non igitur bilem tantum expurgat. etsi enim colocynthis, & reliqua id genus medicamenta pituitam magis, quàm bilem, eamq́; ab articulis, neruisq́; magis, sanctimoniaq́; non nisi a uenis expurget: non est tamen, quòd ea in hoc morbo improbetur. quando in præsentia non pituitā a capite, uerum materias, quæ uniuerso insunt corpori, ducere nobis consiliū est. Quinimmo Auicennas prima libri tertii sectione in Apoplexiæ curatione materiam crassam illam pituitosam in capite existentem usque adeo uasorum ora obstruere ait, ut, nullum purgans medicamentum eadem reserare, atque eandem materiam educere queat. Quum igitur scopus sit, eas, quæ in iocinore, parumq́ue ultra iecur existunt, materias extrahere, sanctimoniaq; illud ipsum optime præstet, non est cur isti ueteres medicos amplissimos lacessant: si sanctimonia corpus uniuersum purgetur: præsertim si biliosior temperamento ægrotus, uenasq; latas natura sortitus fuerit: quum Auicennas etiam, quem tantopere admirantur, hoc eodem in morbo profligando sanctimonia utatur. Nec mihi sane probantur, quæ illi obie-

Lib. 3. c. *Lib. 3. c.* *pr. 3. tr. 3. c. 9.* *Lib. 4. c. 1.* *Lib. 7. c. 4.* *Tr. 5. c. 14.* *pr. 3. tr. 5. c. 14.*

obiectant, pituitosum in uentriculo existentem rectius colocynthide, quàm sanctimonia purgari: quãdo ignorare prorsus fatentur humorem in uentriculo decumbentem uomitu eiiciendum, non esse purgandum. sanctimoniam præterea in uniuersi corporis purgatione idoneã magis esse constat, ut quæ fluentes humores tenuesq; colocynthide magis expurget, qui morbi initio tenuiores existunt. Priscorum igitur medicamentum ex sanctimonia castorioq; confectum idoneum maxime in comitiali morbo curando esse, pro uniuersi corporis purgatione his rationibus comprobatum est. Clysteribus præterea acrioribus prisci olim ad hunc etiam usum medici partim ad purgandum, partim ad reuellendum usi sunt. in quibus colocynthidem, agaricum, atque idgenus alia medicamenta ob rationes commemoratas non commiscerem: quando pituitam in capite redundantem exagitarent potius, quàm educerent: ueluti iam supra statim præceptum fuit. His igitur alia potius cõmiscenda suaserim, quæ sanctimoniam recipiunt, qualia potissimum sunt, uel quod e rosarum succo conficitur celegma, uel quod ex palmæ fructu, quod διαφοινίκων nuncupatur, uel quod indum, & huiuscemodi reliqua. Sunt autem & qui eosdem clysteres in comitiali morbo abhorrent; ut qui motum naturæ aduersum moliantur. multisq; illud rationibus, atque antiquorũ authoritatibus, in primisq; Hippocratis adstruunt, qui in aphorismis ait. Quæ ducere oportet, quo maxime natura uergit per loca conferentia eo ducere oportet. quum autem in hoc affectu pituitosus potius humor caput repat, uomitu non clysteribus idgenus acrioribus uacuandus. Idem præterea author libro de ratione uictus in morbis acutis quarto idipsum clarius edocuit. Siquidem in morbo magno, qualis est attonitus in primis, si per sanguinis missionem nihil leuatus ægrotus uideatur, ad eam, quæ per superna, nempe uomitum fit, purgationem deueniẽdum esse præcepit. Si igitur (inquiunt) Hippocrates per superna purgat attonitos, & nos itidem in comitialibus attonitis affinibus

pr. aphor. 21.

tr. 30.

finibus eandem per ſuperiorem ſedem uacuationem mo
liri debemus. Item eodem propemodum in loco, in mor
t.22.23. bis inquit magnis ſanguinem prius mittendum eſſe, deinde ab eo purgationem faciendum. non igitur in comitiali malo utrunq; expoſtulante clyſteres iſtiuſmodi acres conueniunt, quin potius purgatio exercenda. Clyſteres ad hæc, quũ humores a capite expurgare nequeāt, reſpuendi uidentur. purgans quinetiam medicamentũ, ſi purgandi munus obire debet, in uentriculo prius conficiatur oportet: quod tamen per clyſteres inditum inteſtinis concoqui ac perfici nequit. Iecinori demum uentriculoq; clyſteres, potiſsimum, qui acriores ſunt, quum non mediocriter obſint, ſunt fugiendi. Quæ tamen omnia facile, unaq; tantum fere ſolutione diluuntur. nempe quòd clyſteres acriores in id genus affectibus idem fere munus præſtant, quod medicamenta purgantia. Cæterum iis duplici ratione utimur, altera quam Hippocra
t.21. tes quarto de uictus ratione in morbis acutis libro memoriæ prodidit, dum ait. At ſi æger ob copioſam ſanguinis miſsionem imbecillior fuerit, clyſmũ tertio quoquo die uentri infundes, donec in tuto ægrotus fuerit, quam ſententiam declarās Galenus, ſi uero imbecillior, inquit, æger tibi uidebitur, uel propter ſanguinis ablati copiam, uel ob aliam quamuis rationem, purgationis uice clyſterem tertio quoque die infundes, nempe relaxato per ſanguinis miſsionem corpore, quod ex morbificis humoribus qualitate uitioſum ſuperfluit, per clyſterem id uacuari iubet. Quod autem eo loci clyſteres acriores, non eos, qui leniendo proficiunt, Hippocrates uelit, Galenus declarat, dum ſtatim ait. Quod autē ſcopus illi ſit non ſolum alimenti excrementa ſubducere, uerum quoque & paſsim locum expurgare manifeſtum eſt. Altera uero ratio, qua in comitialibus, iiſque ſimilibus affectibus acrioribus clyſteribus uti ſolemus, eſt, quoniam per eos non humoris tantum noxii aliquid educimus, uerum & à ſuperioribus partibus reuellimus, & à capite deriuamus, qui ſcopus in his affectibus eſt ma

xime

xime ſuſpiciendus. Quum igitur ait Hippocrates, quæ ducere oportet, quo potiſsimum natura repit per loca conferentia, eo ducere oportet, id ſane ſentit, ſi naturæ motus ille ex ratione factus fuerit. tunc enim ſinendus, neque ullo pacto reuellendus. Quod ſi natura, (uti plerumque contingit) moueat per loca minime conferentia, medicus tunc exercitatus & natura prudens reuulſione naturam coarguere debet. Quoties igitur cumq; medici conſilium extat, euacuationem moliri, ea ducere debet per loca conferentia, per quæ natura repit. quũ uero & ducere ſimul atque reuellere eſt animus, naturæ motui reluctari omnino debet. Hanc rem præclare ſane declarat Galenus in aphoriſmis, qui dum eum exponit, *aphor. 68.* qui quinto legitur libro, Dolenti partem capitis poſteriorem recta in fronte uena inciſa prodeſt: nõ ſolum inquit ſtudet Hippocrates ubi ſit opus, uacuare, ſed cum auerſione. & reliqua. eodem igitur pacto acrioribus clyſteribus non purgandi tantum (id enim medicamento per os ſumpto, aut uomitu fieri ſatius foret,) uerum & reuulſionis gratia, uti mos eſt, & deriuationis. Quod aũt quarto de uictus ratione in morbis acutis libro obſeruauit Hppocra. non eſt quod noſtræ reclamet ſententiæ. ſi quidem attonitus ille morbus non ob capitis tantũmodo, uerum & ob totius corporis plenitudinẽ factus eſt. uſque adeo enim corporis uniuerſæ intercipiuntur, occluduntúrque uenæ, uti repente corpus uniuerſum ſenſu priuetur ac motione, atque propterea ægrotus ueluti mortuus concidat. Non igitur Hippocratis erat propoſitum a capite materiam auertere, uerum tantummodo euacuare. Quoniam uero ſanguis, & qui in ipſum defluxi erant uitioſi humores, ut qui ob refrigerationem a uenarum plenitudine ſpiritus permeare non permittente factam, concreti erant, purgari nequibant, ideo uomitu potius, & per ſuperiorem ſedem purgabat. qui etiã præter quam quòd multum pituitæ a uentriculo excernit, illud etiam boni præſtat, quod capitis etiam grauitatem aufert, quemadmodum Auicennas etiam memoriæ *4. 1. c. 13.*

T pro-

proddit. etsi igitur Hippocrates in attonito morbo uomitum suadet, non propterea clysteres despicit. quãdo per eos non uacuationem tantum; uerum & auersionem consequimur. Quod autem post sanguinis missionem in morbis magnis, si necessitas urgeat; medicamento pur-
tr.22.& 23 gante sit utendum, ex Hippocratis sententia libro eiusdem nominis quarto nemo non probat, non est tamen quod id genus acriores clysteres non sunt ex usu: quum purgantis medicamenti uicem subeant, (purgantia enim medicamenta recipiunt:) eorum igitur usum maxime collaudarim in his affectionibus: præsertim quum non ualidiore purgatioue indigemus, quippe qui una cum purgatione quam faciunt, a capite etiam auertunt.

Quòd uero caput non purgent, omnes uel mediocriter in arte medica exercitati nouerunt. quando uentriculũ & iecur tantummodo purgant: uerum a capite reuellere in animo est. Quod etiam dicebatur, medicamentum omne purgatorium, ut munus obeat suum, in uentriculo prius conficiendum, non in intestinis, proptereaque non clystere, sed medicamento purgante uti nos debere, quod in uentriculo conficiatur, nostræ non reclamat sententiæ. quando facultas concoctrix illa non in uẽtriculo tantũ, sed & intestinis, licet non admodum firma, existit. quamuis enim medicamentum per clysteres inditũ non ita belle in intestinis conficiatur, quia tamen amplã euacuationem cõsequi nolumus: sat nobis uidetur. Nec est quod quispiam admiretur clysteres acriores uentriculo atque iocinori infensos esse: quando nullum est medicamentum adeo innoxium, quin aliqua ex parte noceat. neque propterea eadem reprobare debemus, quum si parum obsint, multum tamen reuellendo proficiant.

Quoniam igitur de clysteribus satis multa dicta sunt, nũc restat, ut de iis rebus, quas uomitui dicatas esse dicebamus, nimirum quibus medicamentis fiat, & an in comitiali malo sit ex usu, perscribamus. Vomitum igitur ueteres non improbarunt, tum uti humores in uentriculo existentes pituitosos uacuarent, tum uti a capite etiam

re-

reuellerent. Cæterum non temere in comitialibus exer cendus: potiſsimum ſi affectio primogenio in capite fuerit. quæ ſi a ſtomacho originem duxerit, iuuantiſsimus exiſtimatur. quēadmodum Paulus atque ipſum ſectatus Auicennas memoriæ prodiderunt. 4. 1. c. 14. lib. 7. c. 10.

Hæc autem in uomitione exercenda methodus ſeruari debet, iis potiſsimum, qui difficulter euomūt, uti prius ea calefiant, quæ os uentriculi circunſtant loca, & manus & pedes: aquamque calidā, aut hydræleon ægrotus epotet. quod ſi neque hoc modo poſsit euomere, digitos, aut pennas demittens prorritet, quod ſi neque ita uomitus ſuccedat, rurſus huic oleum calidum, quam optimum inueniri poteſt, exhibendum. ſolet enim ſæpius oleum non uomitum tantum citare, uerum & uentrem molliorem efficere. Eſt autem hoc non paruum bonum præſentibus rebus, quem tamen cum ueratro ciere ſi uolueris, hoc modo paratum propinato. Illum autem cū ueratro concitabis, quum morbus uetuſtus, & contumax fuerit, ut mitiora contemnat remedia. tunc enim iis utēdum erit, quæ largius extenuāt, & totum affectum abſcindunt: præſertim ea purgatione, quæ albū ueratrū recipit. cuius deſcriptio ex Alexandro ita habet. Baccarum Lauri purgatarum ſiliquæ octo, olypiadis, piperis albi, cuphorbii, ueratri albi ſingulorum ſiliquæ octo, hæc omnia tunſa, ſingulaque ponderata, quemadmodum etiā ſcriptū eſt, dato una uice ex colocynthidis diluto, quod in hunc modum parabitur. Colocynthidem probe prius paratam, purgatamque, ut nihil interni ſeminis, neque lanuginis relictum ſit, ſapa repleto: ſinitoque ipſam in calido cinere a ueſpere ad primum uſque diluculum pernoteſcere: atque ita dato, ut auxilium maximum: quod & uomitu plura ualde craſſa, & lenta recrementa repurget: ac ter quoque aut quater eo utitur, non ita multis (ut Celſus notat) interpoſitis diebus. ſic tamen, ne iterum unquam ſumatur, niſi ægrotus conciderit. ſecundū purgationem panis exiguum mulſo intinctum dato: mediis autem diebus uires eius erunt reficiēdæ, quibuſdam 4. 1. c. 11. & 13. & 1. 3. tr. 5. c. 11. lib. 1. c. 15. lib. 3. c. 23.

præterea quæ ſcriptæ ſunt, adiectis. nam & uiribus opus eſt. Cæterum illud ſcire conuenit, quod in iis qui uentris oſculum imbecillum, & bene ſenſile habent, non album ueratrum, ſed nigrum potius purgationi iniiciendum eſt. ſic enim datum ſine moleſtia purgabit, & proficiet, præterquã quod neque uiolẽtos uellicatus inducet. Alii hoc modo ueratrum paratum exhibent. Veratri nigri optimi ſextans, in aquæ hemina diebus quinque maceratur, atque ad aquæ tertias incoquetur: ubi expreſsũ ueratrum eſt, aquæ miſcetur mellis tantundem, excoctum uſque ad ſpiſsitudinem laboranti exhibetur, nimirum uomitionibus aſſueto, probeque concoctione defuncto, & cui aluus reſponderit uel ſua ſponte, uel clyſtere ſemel, biſue iuxta uirium rationem ſollicitata. Quòd ſiquis medicamentum per os abominatur, omnino autẽ ueratri potionem requirit, glans ex albo ueratro tunſo cribratoque, deinde cocto melle excepto ſuperiorem uentrẽ purgat. pondus igitur ueratri ſint drachmæ duæ. Cæterum glans circumaptetur, aut uinciatur ſtuppa ſolidiore, cuius initium extrinſecus per ſedem recipiatur, quo glandem, ubi ſatis purgando profecerit, auferre ualeamus. hic enim modus purgat abſolutiſsime, neque ſuffocationem, aut aliud quoddam periculum inducit. Poteſt & per clyſterem infundi ad uomitũ eliciendum: quẽadmodum refert Paulus ex Anthylli experimento. ſi quis uero ueratrum abhorreat, promptiſsimum ad uomitũ eliciendum eſt cyprinum oleum digitis aut pennis in id intinctis demiſsiſque in guttur. Item nardi gallicæ radicum denarii ſeptem ex mulſa poti ſurſum ualenter purgant. Radicum item betonicæ quinque aut ſex denarii cũ mulſa ſumpti. Bulbi uomitorii radix ſi per ſeſe eſtur, aut eius decoctum bibitur, uomitiones repræſentat. Frictiones uero, & deligaturæ, & cucurbitulæ ex eorum genere habentur, quæ tantummodo auertunt. quorum omnium particularius infra meminerimus. Ac de eo quidẽ auerſionis genere, quod uomitu peragitur, ſatis dictum eſt. Nunc de eo, in quo utilitas etiam non parua adiun-

lib. 7. c. 10.

igitur,

gitur, quod tamen caput particularius cerebrumque re purgat, nimirum quòd pituitã modo e naribus per sternutamenta euocat, modo ex ore per pituitam ducentia dicendum uidetur. Vtrũ uero morbi initio, & ante materiæ concoctionem innoxie sint exhibenda, eadem ferme ratione sciemus, qua & in febribus ex humorum putredine factis ante materiæ concoctionem sudorem urinamque ciemus, frictionesque suademus. quæ tamen omnia leuibus quibusque auxiliis factitari debent. ita in præsentia præpurgato corpore uniuerso id genus particularibus cerebri purgationib⁹ audacter uti possemus, leuibus tamen auxiliis easdem molientes: natura præsertim per ea loca euacuationem aliquam tentante, quam tum ante etiam concoctionem crudi humoris adiuuare debemus. His igitur, concocta morbi materia, uti debemus: quòd si ante coctionẽ, uel quòd natura per eadẽ conferentia loca repere uidentur, uel quòd suapte medicus ingenio uti uelit, leuibus illud medicamentis experietur: alioqui ualidioribus si uteretur, & humores cerebro impactos exagitaret, neq; uniuersos educere posset: unde & morbi recidiua, & frequentiores comitiales accessiones fierent.

1.4. tr 2. c. 7.

Sanguis igitur, ut unde digressi sumus, tãdem redeamus: in his affectibus statim inter initia eo, quo dictum est, modo auferetur. secũdo ab hoc loco corpus uniuersum aliquo purgatorio medicamento uacuabitur, uel acriori quopiam clysmate, uel utroque modo purgabitur, atq; si opus fuerit, uomitus citabitur. quæ omnia primum atque alterum curationis scopum perficiunt, nempe uniuersi corporis uacuationem atque reuulsionem, quibus rite expletis tertius tibi scopus esto materiæ concoctio, repulsione in præsentia dimissa, cui in hoc morbo abigendo locus non datur, præter quàm in eius differentia, quæ ab humore sanguineo fieri solet, in qua teste præsertim Raze repulsio, capitisq; refrigeratio fieri debet, cum rosaceo, acetoq; atq; id genus cæteris. Quoniã uero comitialis morbi materia pituitosa plurimũ, frigida nimi-

lib. 9. ad Mansor. cap. 11.

nimirũ humida, crassa, ac lẽta existit: calefactione si frigida, si humida exiccatione, attenuatione si crassa, atq; sectione si lenta sit, abstersione indigere uidetur. Secanda igitur atq; attenuanda, abstergendaq; materia erit, calefacienda frigiditas, atq; siccanda humiditas. Cæterũ quando in capite plurimum contineri eam dictum est, cum iis illud agendum, quæ stypseos aliquid, & odoris obtineant. his enim principes corporis partes, cerebrũq; in primis & roborantur, atque oblectantur: quemadmodum (de odoratis loquor,) Hippocrates & Galenus uoluere. de adstringentibus uero in libris de compositione medicamentorum secundum locos affectos colligitur: in quorum secundo inter multa Galenus mentã collaudat, ut quæ maiorem cerebro roborationẽ exhibeat: de quibus abunde inferius dicetur. Inter ea uero omnia, quæ hæc præstant, oxymeli existit, quod si quid aliud comitiali malo subuenit eodem Galeno authore. Verum enim uero mirabitur quispiam oxymeli comitiales homines adiuuare: quando morbus, quo illi afficiuntur, in cerebro uiscere sane frigido, eiusdemq; cum neruis naturæ existit, quibus oxymeli ob acetum, quod recipit, non minimum officit. Quod autem suapte natura acetum neruos offendat, nemo non probat: si quidem exangues, atque propterea frigidi existunt, facileq; ab his quæ refrigerant una, tenuesq; parteis obtinent, medicamentis afficiuntur. læduntur præterea & a cæteris refrigerantibus omnibus: quemadmodum & in aphorismis, & tertio de uictus ratione in morbis acutis libro testatur Hippocrates. quod enim substantiæ aceti tenuium partium existit, in eorum mergitur profundum, atque in omneis ita partes irrumpit, ut ne minimũ quidem ex eis maneat illæsum. ita igitur acetum neruosas parteis offendit. Num igitur, dices, sibi dissentit Galenus in oxymelite comitialibus exhibendo. Non mehercule, quin potius comitiales maxime uiuat. Siquidem acetum in oxymelite corrigitur quum mellis calore atq; dulcedine, tum ex aceti cum mulsa decoctione. uis enim

Lib. 2. de ratione uict. acutorũ morb. t. 11.

cap. de dolore capitis uitio stomach.

In uniuerso pro puero comitiali.

5. aphor. 18. t. 39.

aceti

aceti minuitur, oxymeliq; ad nocendum infirmius reddi tur. Quid quod illi serapium e sticade paratum, mētaq; uel calaminta confectum additur? uel aliud quod aceti in oxymelite facultatem ualeat emendare? accedit his etiam, quod minorem illius quantitatem, quàm eorum, quæ sunt commemorata serapiorum apponitur. Mel tamen rosaceum non omnino probarim ob rosæ frigiditatem, ac penetrandi facultatem, quam obtinet: alioqui eodem pacto cerebro neruisq; officeret, quo acetū obesse dictum est. quamobrem melli uel sticadem, uel mentam, calamintamue, aut saluiam, aut potius uerbenacā incoquendam suaserim: quando materias frigidas in capite collectas mirifice discutere Galenus testatur. hæc enim omnia præter quàm quod concoquunt, cerebrum etiam mirifice roborant. Sunt & alia, quæ idem munus obeunt, simplicia medicamenta, quorum decoctum comitialium materias morborum concoquūt: qualia sunt serpillum, pulegium, origanum, tragoriganum, aliaque permulta: hæc enim, siquid aliud calfaciunt, secant attenuantq;: stypsi tamē carent, qua cerebrum egere dictum fuit, quibus aliquod iam commemoratorum simpliciū medicamentorum adiiciendum: aut etiam caryophyllū aut nux, moscatam uocant: ex quibus omnibus & serapia cum melle, & decoctum cum aqua fieri possunt. Cæterum quum multifariam oxymeli conficiatur, ueluti pasim Galenus memoriæ prodidit: illo in comitiali morbo curando utemur, quod ita paratum fuerit, ut & naturæ, & gustui cuiusuis satisfaciat. neque enim omnibus uno modo paratum propinandum est. Illud autem idoneum cuiq; fuerit, quod iucundisimum, proindeq; etiam utile: contra aduersisimum, quod iniucundum; utrū uero uel dulcius, uel acerbius, dilutius meraciusue dandum sit, medici industriæ relinquendum, qui præsens naturam curandorum corporum cōtemplabitur, atque humorum qualitatem coniectura consequetur. Siquidē in crasis ac lentis, acriori ac meraciori, in aliis autem diuersis dilutiore ac dulciore utendum est. quemadmodū

3. de ratione uict. acutorū morborū 24. & 37.

2. de compositione med. 5. locos c. de cæphalæa in fine.

Lib. 4. de tuē da ualetudine.

& reliqua, quæ hactenus recensuimus, omnia pro cuiusque corporis constitutione, ueluti in cæteris etiam morbis singulis uel immutare, uel uariare conuenit. Eius igitur parandi modus, qui pluribus conueniat, talis esto: hoc enim comitialibus opitulari crediderim. uni aceti parti mellis, a quo spuma detracta sit, duplum misceatur: deinde ambo leni quopiam igne coquantur, donec eorũ qualitates in unum coierint. ita enim nec acetum amplius crudum apparebit, uisq; mellis flatuosa coercebitur, spumaq; hac decoctione auferetur.

Ne que propterea cuiquam incõstans uideatur Galenus in oxymelitis compositione, dum in responso pro puero comitiali, oxymeli, inquit, si acutissimum sit, quartam habeat aceti partem ad mel ipsum, cui detracta fuerit spuma, si dulcissimum, octauam: quarto uero de tuenda ualetudine si id ualentius inquit efficere studes, aceti tantundem iniicies, quantum mellis. quando priori loco de oxymelite loquitur, quod puero illi erat ex usu. neque enim illud ita paratum omnium esse acutissimũ ait, quæ pro hoc abigendo morbo fieri possunt, neque inter alios etiam omneis parandi modos: uerum acutissimum puero illi, qui natura imbecillis erat, neruorumq́ue uitio laborabat: cui uti iam dictum est, acetum impense nocet. secundo uero loco, oxymeli, ait, eo modo paratum acutissimum esse inter omneis conficiẽdi paradiq́ue modos. Simplex autem compositum sequitur, & quod a scylla, quam recipit, scyllinum nuncupatur. hoc autem inter morbi initia non utemur, quum uehementem calfaciendi atque attenuandi facultatem habeat. Cæterum & illud neruis officere credi uix potest, quãdo calefacere potius neruos, quam refrigerare deberet: quum præsertim aceti quod recipit uis cũ mellis mixtione decoctioneq; sit imminuta: calidiusq́ne non a mellis tantum calore, sed & scyllæ adurente fere qualitate euadat. Non igitur eius frigiditas, sed partium tenuitas, quũ ab aceto scyllaque acquirit. neruis obesse creditur. usque adeo enim neruorum substantiam permeat, ut continuitatem dis-

soluere

ſoluere uideatur. cum aliis igitur potius ad hunc uſum idoneis ſerapiis, quàm ſolo, quemadmodum & de ſimplici oxymelite diximus, utendum aſt. Hoc igitur pacto frigida & craſſa materia diſecanda, calefacienda, atque demum concoquenda eſt, quemadmodum undecimo de morbis curandis libro nos docuit Galenus. quo loco primum ſeſe ait fuiſſe, qui hoc nomen ῥυπτικὸν receperit. Neque propterea inficias ibis, ſi in arte medicinali obſtructiones auferri uelit ex humoribus lentis craſsiſque factas cum ſecantibus atque abſtergentibus, ſecundo uero de medicamentorum compoſitione ſecundum locos cum ſecantibus tantum curari ſcribat, ſiquidem libro de ſimplicium medicamentorum facultatibus quinto hanc omnem ambiguitatem tollit. docens enim nos abſtergentia & poros purgantia medicamenta, abſtergẽtia inquit tenuium eſſe partium, & dulcia qualia inter multa ſunt mel ipſum, amara uero & nitroſa ſecare, attenuare, atque abſtergere. quamobrem nullum præſtantius medicamentum in pectoris uitiis reperiri ait, quàm amara præditum facultate, potiſsimumque amygdalas amaras, quæ attenuant, diſſecant, & abſtergũt. ſtatimque ſubdit omne, quod abſtergit, medicamentum ſecare una atque attenuare. ita igitur Galeni ſermonis ambiguitas illis ipſis in locis diſſoluitur. etſi enim priori loco humores craſſos cum ſecantibus, lentos cum abſtergentibus curari ait, alibi tamen hæc inuicem confundit quũ quod abſtergit, ſecat una atque attenuat. Hæc igitur omnia concoquentia ſerapia, uel decocta propinanda ſuaſerim tanto ante omnem cibum temporis interuallo, quanto externa in uentre cæna concocta fuerit. omnibus enim conſtat cibos multiplices præſertim facultate diſsimiles magnã progignere uentris turbationem. ob hanc igitur cauſſam id genus concoquentia, potiſsimũque oxymeli, quum ſolum ſit medicamentum, non ſunt propinanda, niſi cibus probe fuerit concoctus: quo tempore tum nocte, tum appetente die ante omnem cibum deſumere licet, Hippocrate Galenoque authoribus.

1. de rõne uic. a acut. morb. t. 44.
3. de rõne ui. in morb. acut. 35.

Multfariam præterea materia hæc concoqui poteſt, ueluti cum eis, quæ manduntur, & quæ gargarizatu proficiunt, quæq́ue naribus trahuntur, & quæ capiti perfunduntur, perunguntuŕque, aut demum quæ odoratu idẽ munus præſtant. hæc autem omnia quum tenuandi facultatem habeant, calefaciantq́ue, atque diſſecent, & abſtergant, non concoquendi tantum munus obeunt, uerum & diſcutiendi uim obtinent: quibus fit, ut in alium locum eorum ratio differatur. In præſentia uero ſatius fuerit materiam iam commemoratis auxiliis cõcoctam educere: quibus autem medicamentis fieri id poſsit, ſubnectemus.

Hiera ex colocynthide
Catapotia ex aloe
Coccia

Multa profecto ſunt, quæ in hoc morbo curando medicamenta probantur, qualia ſunt hiera ex colocynthide, & catapocia ex aloe, et quæ Razes coccia nuncupauit: quorum medicamentorum uariandum eſſe compoſitionem pro humorum in capite exuperantium diuerſitate ſuaderem. Nam ſi niger humor expurgandus offertur, ex hiera medicari debet, cui adiiciendum interim nigrũ ueratrum, interim ſcammonia, ſi bilioſus: quum uero pituitoſum propellere ſuſpicati fuerimus, hieræ nihil cõmiſcebimus, quando huiuſcemodi humor præſertim ex capite hiera ex colocynthide præclare purgari ſolet. nec non et alii quidam humores, etiam ſi ſcammoniam, aut nigrum ueratrum, epithymuḿue non aſſumpſerit. Cæterum quæ ſcammoniam, & colocynthidẽ obtinet, ita affectos utilius purgare ſolet. Quæ uero ex aloe catapocia parantur, habent colocynthidis medullæ, abſynthii ſucci, aloes ſingulas parteis, ſcammoniæ parteis duas, ex aqua granula ad erui magnitudinem finguntur, dantur undecim numero. Coccia uero à Raze nũcupata (ita enim nominantur, quòd coccineum granum magnitudine æquant) quum hieram recipiant, huic affectioni mirifice conferunt. ſunt & quæ Aurea à Muſæo nuncupantur, quæ ita probe paratæ fuere, ut nulla fere egeant correctione, bilioſum tamen repurgant magis humorem. his igitur utemur, ſi cum pituita bilis quoque effloreſcat.

Gal. 1. de cõpoſitione me. ſecundum locos c. de alopæcia. Paul. lib. 7. c. 5. lib. 9. ad Mãſor. c. 11.

Sunt

Sunt & Hiera Antiochi, Iusti, Ruffi ephesii, Archigenis, quarum omnium Paulus abunde meminit. extat & Mephitæ hiera ab actuario descripta, quæ prætérquam quod caput, aures, & oculos purgat, abscessuque stomachi discutit, comitialibus mirandum in modum auxiliatur, qui subito concidunt, ore spumam mouent, & linguam mandunt. ita ut quispiam sic affectos a Dæmone occupari arbitretur. ut interim innumeros alios, quibus ipsa succurrit, affectus omittam. Habet autem agariti, folii indici, ammoniaci, ueratri nigri, scillæ assæ scammoniæ, piperis nigri singulorum grana quinque, thymi, aloes, polii, casiæ, hyperici, trissaginis, bdellii, marrubii, epithymi, euphorbii filiculæ, singulorum grana quatuor, piperis albi, castorii, aristolochiæ longæ, cinamomi, gingiberis, petroselini, cuiusque grana duo, medullæ colocynthidis grana decem, mellis quod satis fuerit. datur bis in mense, uel ter, sumitur autem ex aqua mulsa cice ris magnitudine (quod si humorem quempiam potius, quam cæteros, animus sit purgare, assumes illi accómodatum, ac priuatim dicatum deiectoriũ. Perfectus exhibitionis modus assumẽtib⁹, est siciliquus, aut drach. tres. Quæ uero Galeno adscribitur, ea ratione hic subscribere uisus sum, qua aduersus maxima, ac deterrima uitia, quæ humores extricatu difficiles expurgat. & facultates naturaleis recreat: omnes autẽ humores purgat (si uero quempiam pro cæteris educere cupimus: commoderatum simplex aliquod deiectorium potioni adiicim⁹, illumque humorem una detrahimus. Vtilis quoque est melancholicis, & comitialibus. Cæterum antea diligenter meatus infarctu sunt uindicandi, humoresque concoquendi. Recipit autem colocynthidis trientem, scyllæ assæ sextantem, aut quadrantem, spicæ sextulas quatuor, iunci odorati, polii, pulegii, aiugæ, singulorum sextulas quatuor, euphorbii, semunciam, gentianæ sextulas octo, agarici sextantem, ammoniaci unciam, ueratri nigri sextantem, bdellii sexquuncem, aloes sexquuncem, marrubii unciam, trium piperum cuiusque

lib. 7. c. 8.
lib. 5. c. 9. Hiera me[illegible]
actuar. lib. 5. c. 9.

ſextulas quatuor, ſagapeni, ſemunciam, croci, duellam, ariſtolochiæ longæ, & rotundæ, utriuſque ſemunciam, Zinziberis, trientem, cinamomi, ſemunciam, opoponacis, caſtorii, petroſelini, uniuſcuiusque ſemunciam, deſpumati mellis quod faciat ſatis, paſsi, quod ad lachrymas macerandas ſufficiat.

lib.5.c.9. Qui uero ad Actuarium refertur ſal purgatorius, quum quæ inſedit aluo, aut interaneis coiit, pituitam purget, & reliquos educat humores, commodiſsimus in primis illi exiſtimatur, qui ſtomachi male affecti conſortio comitiali uitio captus iugiter concidit. quo ſi utatur, non paruas mihi, inquit, gratias referet: a morbis enim uindicat omnes, qui ipſo familiariter utuntur. Petroſelini, maſtiches, Zinziberis, ſingulorum drachmas tres, piperis, euphorbii, utriuſque drachmas ſex, ſalis hammoniaci drachmas quindecim, ſcammoniæ drachmas ſex, datur cochlearis dimidium in prandio, ad intinctũ, cum piſce, uel gallina. pondus autem ſint drachmæ quatuor. Si tamen efficacius purgare uolueris, mane ieiuno ex ſucci ptiſſanæ, aut aquæ mulſæ drachmis ſex præbeto: ſed robuſtioribus, drachmæ ſeptem, imbecillioribus uero drachmæ quatuor dari poterunt. *lib.1.c.de cephalæa.* Cæterum enixe obſeruandum eſt in huiuſmodi purgationibus, quod Alexander Trallianus ſcriptum reliquit, humores nimirum pituitoſos non ſemel atque iterum purgandos, ſed pluribus purgationibus educendos eſſe, hi enim & ſi concocti fuerint, difficile tamen ſemper ob lentorem, quem nunquam totum amittunt, uacuantur. Illud præterea ignorare non oportet, quod non omnibus huic malo affectis eadem prorſus auxilia cõueniunt: ex quo incidit, ut alia atque alia ſummi authores quaſi ſola uindicarint, prout cuique ceſſerant. Verum ubi aliquid non reſpondit, non tanti putare authorem oportet, quanti ægrũ: & experiri aliud atque aliud: ita tamen, ut quos tempus longos ut facit, ſic etiam ſoluit, non ſtatim condẽnatur, ſiquid nõ illico profuit. minus uero remoueatur, ſiquid paulum ſaltem iuuat: quia profectus tempore expletur.

Neque propterea in huius morbi curatione cunctandũ: nam ob dilationem medelæ in uitium insanabile prolabitur: neque enim si semel inuaserit, facile recedit: & ubi diutius trahitur, temporis spacio uires acquirit: & nonnunquam euenit, ut commoriatur. Facta igitur prima humorum concoctione & per serapia concoquentia, & per ea quæ per os pituitam eliciunt: quæque eandem naribus infusa educunt, atque per odoramenta, quæ tamẽ imbecilliori quadam uirtute sunt prædita, ualentioribus medicamentis tum concoquentibus tum repurgãtibus, uti necesse fuerit: quemadmodum in methodo curatrice particulari dicetur: quam statim subnectemus, si auxilii prius, quibus dum urget accessio, ueteres utebãtur, commemorabimus. Triste mediusfidius spectandum est ipsius inuasionis principium. turpis & eius desiuentia cum stercore, & lotio, & spontina uentris solutione. perniciosus & primus morbi huius casus est, si acute morbus inuadit: nõnunquã enim & uno die hominem perdit. periculosæ &iam sunt per circuitus exacerbationes: unde factum est, ut in acutorum numerum, ueluti præceptum est, comitialis morbus poneretur. Quotquot igitur prolapsui peculiaria remedia inueniũtur, ea in præsẽtia docebimus. Pueris itaq;, quib⁹ ex corruptione, aut ex uehementi refrigeratione inusitata hæc labes incessit, uomitus aut cibi, aut pituitæ, aut aliorum quorundam humorum prodesse consueuit. pennæ autẽ irino unguento delibutæ nauseam excitant: uerumtamen & irino non usque ad conuulsiones tonsillæ sunt illinendæ. comprimere quoque leniter ilia opus est, puerum in uentrem suspensum conuertendo. hæc enim figura ad uomitum aptissima est. At si uellatur, aut distorqueatur inferior maxilla, aut manus, & crura iactentur, aut una cum toto corporum oculi distendantur, manibus perunctis tractando demulcere conuenit, obtorti oculi dirigendi sunt, rectæ partes ne torqueantur, suauiter continendæ: frigida membra lanis antiquis sordidis, attritisq; panniculis fouenda. sedem præterea melle cũ

Auxilia, quibus in accessione ueteres utebantur

rutaceo

rutaceo oleo inungito, aut cum nitro, aut reſina liquida cum his mixta. hæc quoque leniter intra anum intrudito, flatum enim proliciunt. flatuum autem excretio huiuſce morbi in pueris medela eſt. Porro ſi deglutire ualeant, pharmacum iſtud exhibendum eſt. Cardamomi pars, æris cōbuſti ſcrupulus. hæc ex mulſa propinato: aut enim euomunt una cum humoribus uētriculum infeſtantibus, aut aluus ſubducitur. optimum quoque eſt huiuſcemodi linctuarium. Cardamomi, ſinapis, hyſopi comæ par modus, iridis radicis pars cum nitri duplo, piperis tertia pars: omnia cum melle permiſceto, & maxillam deducens in os infundito. interius etiam, quam ubi ſunt tōſillæ, quo deglutire ualeant, iniicito. Hæc adeo pueris expediunt ad leuandam exacerbationem. Iuuenibus autem & hæc quidem proſunt, uerum etiam potentiora his medicamenta ad uomitum deligenda ſunt.

Qui igitur poſt annos puerileis in hunc morbum prolabuntur, potiſsimum quum raptus fuerit conſequutus, digitis erunt palpebræ differendæ, atque iugiter ab omni motu ſeruandi ob conuulſionis affectum: eorumq; conuulſæ partes ac diſtractæ pingui aſpergine adiuuari, contineri, & in rectum dirigi debent. quales ſunt uel oleum chamæmelinum, uel irinum, uel anethinum, uel aliquid eiuſmodi, quod leniter emolliat, modiceq; calefaciat. partes uero conuulſæ in rectum ita dirigantur, ut neque cerebro, neque neruis uis inferatur. quæ ſi minime conſenſerint, erunt in eadem forma ſeruādæ, ne ulterius torqueantur. Tunc quodam laxamento captato corrigendæ, ne nimio occurrētes certamine ſuperare cupientes, neruorum quaſsationes faciamus: iubendum etiam miniſtris manibus ut calidis nunc caput atque frontem blā da frictione, nunc collum, atque eam gutturis partem, quam ἀνθερέωνα uocant, contingant: eſt enim ſnb mento carnoſa pars, quæ & λευκανίη dicetur: etſi ueram ἀνθερέωνα hanc partem, λευθανίαν uero cauitatem iuxta iugulum Homerus appellat. Aliis etiam manuum ſummitatem atque pedum tenere iubemus. Præterea frigeſcentia corporis

uapo-

uaporari, linguam quoque reducere curabimus, atque mentum corrigere, uel coæquare. Tunc calidis pannis thoracem uaporare, atque inter ſcapulas, nempe eam partem, quæ è ſepti regione poſita eſt, quam μεταφρένον uocant. Laxatis enim ſepti partibus, laxata etiam membrana, quæ latera ex interioribus contegit, ſine ullo periculo poterit collectus ſpiritus exhalare. Apponenda etiam ueſica oleo calente ſemiplena pube tenus, atque ueſicæ partibus, ut ipſæ quoque mitigatæ conquieſcant. Sed neque confertim, neque uno tempore omnes partes erunt curandæ, ſed diuerſo: ut nunc ſtomachus, nunc ueſica, nunc inter ſcapulas releuetur, quo neceſſario caput relaxatum conquieſcat. At ſi dentes conciderint, ut præfocationis excitent metum, tunc ore diſtẽto digitus demittatur. os uero aperietur, ſi ligneus cuneus, uel quiduis aliud dentibus interponatur, quod & ad anhelitus facilitatẽ, ſpumamq́; ex ore extrahendam, & uomitus prouocationem auxilio futurum ſit: deinde penna irino per uncta uomitus (ueluti in pueris diximus,) citabitur, pituitæ auferendæ gratia. & ſi enim frequentior uomitus huic obſit affectui, quod humores ad caput dirigat, ut tamen ab acceſsionis caſu æger exurgat, auxilio eſſe exiſtimatur. qui tamen tunc citandus erit Auicenna authore, quum acceſsio peracta fuerit, eiusq́; in primis cõuulſorius motus: alioqui non facile eſſet citandus. prodeerunt autem & quæcunque in pueris uomitum ciere diximus, uerum etiam potentiora, ut narcyſsi bulbi, ſinapis, & hyſopi pares partes, æris, & piperis dimidio minus, quàm priora, cum melle commixta poſſunt exhiberi. Interim per interualla ægrotantem inclamantes excitabimus, & eius ora ſpongia ex aqua calida expreſſa detergemus: dehinc caput iugiter fouebimus. Quum ſtatum ſumpſerit acceſsio, plurimo, eoq́; dulci oleo calente, laniſq́; mollioribus infuſo omnia cõtegemus, magis autem occiput, maioreſq́; neruos, quos τένοντας græci uocant. Gutturis etiam, atque Romæ partes, quas ἀνθερεῶνας ſupra diximus nominari, cum temporibus, & buccarum

pr. 3. tr. 5. c. 11. post med.

[handwritten margin notes: Vomitus citandus; Vomitus frequentior adversus; Vomitus citandus discussa iam accessione; τένοντες]

rum musculis. Sudores interim si fuerint ingruentes raptim detergemus, ne corpora perfrigescant. Quin & medicamentis, quæ naribus adhibentur, sensum mouere cõuenit: nimirum peucedano, cyrenaico liquore, bitumine, cedrina pice, ruta, castorio, chalbane, ueratro, euphorbio, pipere, cucumere agresti, colocynthide, atque aliis idgenus, quorũ sylua infra habetur. hæc enim adeo ualida præsidia, etsi in beneualentibus exacerbationem plerunque constituant ob humorum ingentem commotionem, quum tamen sensilis facultas sopita non minimũm existat, non nisi ualidissimis obiectis excitari potest. Quòd si nihil remittat accessio, summæ partes synapi implendæ sunt: cucurbita præcordiis affigetur, quã Aretæus Paulusque mirifice collaudant. At si neque his morbus comprimitur, minimũ in medicina spei superest: nihilo tamen minus medicus animo confidente castorium necessitate adactus, & liquorem cirenaicum cum melle & aceto ori infundet. clyster etiam acris, cuiusmodi est, qui supra comprehensus fuit, ano infundetur: hic enim & à capite reuellit, & sensus euigilat. frictionibus quin etiã & deligaturis reuulsionis gratia uti poterimus. Illud præterea nõ omittendũ uidetur, quod Alexander Trallianus scriptum reliquit: siquis, dicẽs, ex pollice quouis pedum ægrotantis sanguinem detrahat, labiis ac fronti illinatur, confestim ægrotum ab accessione liberatum iri. Hactenus igitur eorum, qui in ipsa accessione: nunc eorum, qui extra accessiones comitiali malo laborant, methodus curatiua perscribetur. Ingentibus mehercule medicamentis atque ualentissimis in hoc propulsando morbo opus est. nam, quoties in mentem uenit, non modo laboriosum malum, & periculi plenum, sed & generis morbi fœditatem, & calamitatis opprobrium exhorrescimus. atq; ita existimo, si sese mutuo in accessionibus spectantes ægroti, quæcunque patiuntur, cernerent, non ultra uitam ducere tolerarẽt. Verum quæ singulis atrocia fœdaque insunt, sensus priuatio, intuendique sublata facultas abscondit. Cæterũ

l. 1. de morb. acutorum curatione c. 5.
lib. 3. cap. 13
lib. 1. cap. 15

Clysma acre
Frictiones
Vincula

medendi

medendi rationem naturæ facilitatem ſequi optimũ eſt. ſingulis igitur remediis, quæ aut ab aliis, aut ab ipſomet ægroto fieri poſſunt, opitulandum eſt: nihilque in hoc caſu ſpernendum, temereque faciendum, maxime quælibet exigua adhibendo, quæ penitus proſint, nihil uero lædant. & enim ſpectacula non ſpectanda & ſermones, & edulia, & ſuffimenta plurima morbum patefaciunt. Igitur omnia diligentiſsime conſideranda ſunt. Poſt igitur acceſsiones paulo ante factas materia iam in capite redundante, quum æger ab acceſsione conualuerit, ac uiribus antea recreatis, malumque caput præſertim occupauit, inhabitatque, omnia quæ in cephaleæ curatione referuntur, facere neceſſe eſt: nimirum detrahendo ſanguine, & corpore purgando. Venæ autem, & quæ in cubito, & frontis recta ſecandæ ſunt, cucurbitula admouenda. quando morbus omnis magnus, modo nihil prohibeat, ſanguinis miſsionem expoſcit. prohibebit autem, ſi qua membrorum aut neruorum diſtẽtio acceſſerit, aut uires nimis fuerint exolutæ. Non eſt autem ad animæ deliquium uſque auferendus, ciet enim morbum deliguium animæ. arteriæ omnes & ante, & poſt aures ex Aretæi ſententia incidendæ: prius tamen ubi uel inauſea, uel aliqua pituitæ nota in ſtomacho redundantis adeſſet, uomitus citandus, potiſsimum ſi ægrotus aut facile uomat, aut uomitui ſit aſſuetus. dein clyſter iniiciatur, aut leni aliquo medicamento aluus ſubducatur. In præſeruatione autem, uel ex poplite, aut malleolis ſanguis detrahatur. Cæterum quoniam affectus hic pueris potiſsimum contingit, a puerili ætate incipientes reliqua perſequemur. *lib. 1. de cur. morb. diutinoum cap. 4.*

Si igitur, qui curãdus proponitur, infans fuerit, uel etiã lac aſſumit, nihil moliendum eſt, neque agendum, quantum ad curationem attinet. ſubſequens enim ætas, & calor augeſcens ſuperfluam in capite humiditatẽ cerebriq; ſinus replentem diſcutit. attamen iuuare nos curamque habere oportet, uti lac nutricis benignum ſit, recremẽtisque liberum. Quod enim uitioſum & craſſum eſt, ual

de solet naturam impedire. fiet autem probi succi, si nutrici animum adhibeas, & exercitationibus, ut ipsa & mediocriter exerceatur, & cibis boni succi utatur. Si igitur lac teuue fuerit, paulo ipsum crassius efficere conuenit, sin crassum, extenuare quibusdam, quale est fœniculum, aut anethum, aut anisum, aut ruta, aut porrum. omnia autem hæc dum uiridia sunt, assumantur. nam sicca, quum magis sint acria, plus uteri uasa aperiunt, & nimis menstrui sanguinis uacuationes incitantur, quo nihil est deterius. nam hinc necesse est etiam lac imminui, dum sanguis menstrua purgatione decrescit. Quare etiã uenus nutricis lactentibus pueris est nocentissima: quippe lac hinc tenue & fœtidi odoris fieri necesse est. sin autem contingat etiam concipere, adhuc multo fit perniciosus. ac cauẽdum est ne illa omnino nutrix puero mãmillam porrigat, sed alia potius quærẽda est, quæ lac habeat benignum. internoscitur autem lac colore, substãtia, & odore, ut albissimum sit, & nihil habeat liuidum, aut fœtidum. substantia uero, ut nihil admodum tenue, aut crassum, aut caseosum contineat. nam tale conuulsiones potissimum efficere, & neruos obstruere solet.

pr. de tuend. ualet. Quare uinum etiam moderatum nutricibus propinandum est, recrementi expers, & boni succi efficax. Neq; uero lauari puer continue debet, sed leniter prius fricari quotidie, ac lauari, illudq; maxime fieri potest, lacte in uentriculo minime adhuc hærẽte crudo. quippe quod periculum est non mediocre, ne priusquam probe sit concoctũ, in totum corpus infantis digeratur. multo uero magis, si quis uẽtriculũ ipsum, adhuc lactis plenũ infricet, tum corpus crudo alimento implebit, tum caput onerabit. quo magis prospiciendũ est in primis nequid nutrimenti neque ante balneum, aut lotionem, neque ante frictionẽ puerulo præbeatur. id uero fiet, si ad hæc administranda nutrix post longissimum somnum tempus obseruet. id enim maxime temporis est, in quo uel inanem plane uentriculum inuenias, uel certe concoctum, si quid in eo remansit. Lauabitur uero, non secundum

dum Spartiatarũ mulierum ritum, uino, ſed aqua. experimentum quoddã puerorum habitus facientiũ authore Plutar. Dicitur.n.comitiali morbo infantes, aut alii ægrotationi obnoxios admoto uino debilitari ac reſolui: qui aũt eſſet firmæ ualetudinis, magis acuere ac firmare habitũ. Maioribus aũt pueris, qui uidelicet plagis, minis, obiurgationi, monitis parere norunt, hoc genus diligẽtiæ imperandum. ut quũ, æger ſomnum decuſſerit, primo requieſcat paululum iacens, non ſolum ſuſpicans cibi cruditatem, uerum etiã donec perfectam concoctionem non in uentre tantum, ſed & uenis factam fuiſſe cõiectura aſſequatur: ne ex uigilia ſequenti atque laxamento membrorum, & tenuitate, uel purgatione ſpiritus iãdudum ſomno turbati, atque craſsi fiant. quo etiam perſæpe officia impediri noſcuntur, quum nondum totum recurrens occupauerit corpus. unde ſæpe factum eſt, ut experrectis iis, quæ illico intueantur, fallantur, niſi perfricatis oculis intenderint, neque clamare uel currere facile poſsint. ſi quidem ui quadam ſomni nunc arteria exaſperatur, & raucos facit: nunc delaſſata corpora denſitate neruorum irruente ſpiritu craſsiore afficiat percuſſione uel quaſſatione, ſimiles plagas ingerendo. Has igitur ob cauſſas æger plurimo tempore ſomno depoſito tardate debet, præcauens lucis uehementiam, quũ mox diſcuſſo ſomno intueri minime poteſt, ne repentino percutiatur uiſus. Item diſputationibus uehemẽtibus animum exercere caueat. exclamatio quoq; erit prohibenda: ſiquidem uehemẽter commouet partes affectas. Tũc frictionibus, iiſque leuibus, geſtationeue utatur, aut ẽt balineo: atque poſt has cibum accipiat paruum, ſucculentum, & leuem, ut oua, pultes piſcis teneri, quæque ex uolantibus paruæ ætatis, atque formæ, ficedulæ, turdi, & id genus reliquæ auiculæ. uitans omne quod fuerit acrioris uirtutis, ſiue flatum parientis, aut carnoſæ, uel grauis. ueluti ſupra abũde fuit perſcriptum. quapropter a uino etiam erit abſtinendus. Quod ſi qua acceſsionis futuræ ſigna apparuerint, ut ſomnus turbatus, uel cibi

in Lycurgo.

corruptio, uel iracundia inanis, ac sine ratione, item mæstitia, uel sternutamentum, aut aurium tinnitus, uel præ oculis scintillæ apparentes, aut inflatio præcordiorum, & per somnus seminis inuoluntarius iactus, non ad uitæ solum regulam transeundum est, uerum etiam curationis initium ex abstinentia sumendum. Cæterum non puerili tantum ætate constituti, sed & alii adultiores admonendi, ut si nullam morbi accessionem notæ denunciēt, ante decem uel duodecim dies, uel in uniuersum pro longitudine lenimenti porrectius remediorum regulam dirigant. Qui uero ordinate admonentur, eo tempore curationem adhibeant, quo coniicere possint medium præteritæ atque futuræ accessionis. eiusmodi igitur tum fricandi, tum lauandi temporis ocasio fuerit, quum (ue luti dictum est,) a matutino somno surrexerint, deinde luserint, ac iam cibum petant. tum enim maxime uocandi ad hoc sunt. nam exercitatio siue frictio, siue etiã balineum secundum cibum non modo ita affectis, sed & omnibus aliis est inimica. Cæterum in frictione ea methodus seruanda est, ut primum a brachiis auspicemur, deinde tandem ad pectus, & uentrem ueniamus, post hæc ad crura descendamus, atque ipsa plus, ualentiusque perfricemus, ut etiam recrementa, quæ sursum uergunt, per eiusmodi frictiones ad inferna reuellas. At aliis particulis perfricatis, tunc demum & caput fricari debet, prius enim non conuenit, ne omnia ad ipsum trahantur. Post exercitationes ac frictiones non statim æger in frigidum aerem procedat, neque uersetur: sed ubi distulerit, donec calor sensim perspirauerit, & spiritus continuitas remiserit, ita ad munia consueta prodeat, cibique tantum sumat, quantum satis futurum uideatur. Vbi igitur mane surrexerit æger, & aluum probe deiecerit, dissecans aliquod medicamentum atque extergens assumet, cuiusmodi decoctum hysopi existit, quod magnum potest afferre præsidium. plerique enim solo hoc usi consanuerũt, ut non amplius iterum, aut tertio in eundem morbum inciderint. quippe uiscosa crassaque recrementa secat, neque

Methodus in frictione seruanda

Hysopi decoctum

neque permittit aut in uẽtriculo, aut thorace illa in craſſicinem coire, ac ſpiſſari. aliud enim per urinam, aliud per aluum probe expellit. hoc autem decoctum aut per ſeſe, aut cum oxymelite hyemẽ potius, & autumno ægrotus, per æſtatem uero rarius accipiat: aut anethi decoctum cum oxymelite deſumet. Quòd ſi puer temperamento ſit magis melancholico, ſumet etiam epithymi decoctum, quod & humorem nigrum probe ſubtrahit. Huic autem, ſi eius ætatis ſit, ut purgans medicamentum ferre queat: ea exhibeãtur, quæ pituitam nigrumq́ue humorem extergere comprobatum eſt. nempe hyeram ipſam exhibeto, aut agaricum, uerum ætas puerilis hyeræ efficaciam non fert, ut cuius uires illa ſuperat. nihilominus tamen minori eam quantitate ſi exhibes, non parum profeceris. Quæ uero reliqua ſunt auxilia ad morbi huius reliquias excutiendas, inferius perſcribentur. Cæterum quoniam morbi magnitudo, uti iã præceptum fuit, præter ſanguinis miſsionem in adultioribus inſignem etiam uacuationem poſtulat: eam uel purgãte illo a ueteribus collaudato medicamento moliemur, uel eo, quod hierã uocant, atque iis, quæ a capite pituitam eliciunt: quibus uniuerſum corpus purgabimus. hæc autem multo ualentiora ſunto medicamenta: ſi quidem iſtorum habitus eſt dolorum patiens. Si igitur humoris ineſt copia, nihilq́; aliud prohibent, ſcammoniæ ſcrupulum, caſtorei duobus tribuſue temperatum dabimus: uel clyſmum aliquẽ infundemus, ex iis, qui acriores habentur, uel utrumq; aggrediemur, cuiuſmodi ſunt, qui ex centaurii decocto hyſopi, origani, calamithæ, thymi, pulegii, rutæ, betonicæ, atque id genus ſimplicium medicamentorum conficiuntur. clarioris tamen doctrinæ gratia in hunc modũ parabitur. Saluiæ, origani, betonicæ, rutæ ſingulorum faſciculi, qui manu prehendi poſſunt, calaminthæ, hyſopi, pulegii pars ſemiſsis, centaurii minoris pars una, ſeminum fæniculi, ſeſeleos, ammeos ſingulorum denarii pondo quatuor, polypodii denarii ſex, uel octo, omnia in aqua iuſta quantitatis feruefacito, quoad tertia aquæ

pars

Anethi decoctum

Epithymi decoctum

Clysmata acria

pars absumatur: deinde cum commemorati decocti lib. duabus hieræ, medicamentique indi nuncupati singulorum denarii sex, olei rutacei quadrans commisceantur, aluoque subiiciantur. hæc enim tum uacuandi, tum a capite auertendi facultatem obtinent. Frictionibus interim non admodum ualidioribus utemur. quibus rite procuratis crudus humor conqui, excretioni parari, uasaq; recludi debent: ut concoctus postmodum humor purgatorio aliquo medicamento repurgetur. In hunc etiam usum serapium ex decocto betonicæ optime facit. Capit autẽ hysopi, mẽtæ, pœoniæ, betonicæ parteis æquas, mellis optimi quod satis fuerit. Huius igitur denarios octo, aut decem oxymelitis simplicis, uel etiam compositi tantundem, decocti nuper commemorati trientem, summo mane ante omnem cibum propinato septem aut pluribus diebus. dein purgans aliquod medicamentum exhibeto: hieram nempe ex colocynthide, illam mehercule, quam Razes sub cocciorum catapocciorum nomine descripsit, quorum supra meminimus, eorumque scrupulos quatuor, uel sexquidrachmam exhibeto. sequentibus postmodum diebus nouem, aut pluribus quod reliquum fuerit humoris superflui eiusmodi rursum serapio concoquito, quod habet. serapii ex betonicæ decocto parati, uel e sticade confecti, oxymelitis uel compositi, uel scyllini singulorum unciam, decocti prædicti trientem. iterumque purgato uel cum hiera ex colocynthidæ Galeni, uel alterius authoris. hac ego utor, Sticadis, marrubii, trisaginis, agarici, colocynthidis singulorum scrupuli tres, opoponacis, sagapeni, petroselini, aristolochiæ rotundæ singulorum scrupuli duo, myrrhæ, croci singulorum scrupulus, mellis cocti, probeq; despumati unciæ duæ semissis. arida tundũtur, simul & incernuntur: opoponax autem, sagapenum & myrrha tunsa mulsa per noctem unam in pilam macerantur, deinde leuigãtur, aridisq; miscentur: melle excepta uitreo uase reponuntur ad plureis effectus.

Huius igitur drachmæ quatuor, aut etiam quinque cum aliquo

aliquo lenientium medicamentorum commixtæ, qualia sunt catholicon, & quod leniẽs proprie nuncupatur: mulsaq; dissolutæ modo iam commemorato potentur, eadem uictus ratione seruata. Post hæc non minimum proderit Hysopi decoctum hoc modo paratum. Hisopi, uuæ passæ Cretensis singulæ libræ, aquæ pluuiæ, uel fontanæ libræ tres coquuntur, quoad dimidia pars aquæ absumpta fuerit. huius triens cum oxymelitis compositi, aut etiam scyllini, sexquunce exhibeatur. In eundem etiam usum & epithymum, polypodium, sena, quam uocant, sticas in decocto uel hysopi, uel betonicæ, aut etiã pæoniæ addi possunt, præsertim quum præsidiis acrioribus utendum fuerit. Illud idem præclare faciet oxymeli Iulianũ à Paulo aliisq; hoc loco non satis laudatum. Oxymeli Iulianu
Rursus corpore interea recreato, hiera ex colocynthide, uel aliud quodpiam medicamentum ex mulsa exhibeatur. Quibus omnibus rite peractis Alexandri linctuarium exhibeto, quod habet Pyrethri tenuissime contriti partem unam, mellis optimi despumati partes tres, aut etiam quatuor cuius integra drachma, uel scrupuli quatuor mane exhibeantur, a cæna dormituro drachma semissis. lib. 7. c. 5. Hiera ex colocyn Alex. lib. 1. c. 18. Alexandri linctuariu ibidem.
Aliud expertum. Succi mercurialis masculæ, si mas fuerit ægrotus, sin minus, fæminæ pars una, sacchàris purissimi tantundem. insolantur per mensem, huius postmodo cochlearis mensura cum decocto pæoniæ utiliter propinatur. tribus enim diebus secundam ualetudinem pollicetur. Aliud e succo mercuriali
Præclare quoque facit medicamentum e Scylla, cuius meminit Galenus in eo, quod pro puero comitiali fecit responso, & quod Paulus describit hoc modo. Medicamentum e Scylla Galeni, comitialibus potissimum efficax. Scylla minutim manibus tunsa in uas melleum (μεδίτερον uocant,) demittitur, eoq; diligenter operculato in loco ad meridiem spectante sub æstu caniculæ reponitur, quadraginta diebus post caniculæ sydus, in superficie uase soluto Scyllæ corpus affluxisse deprehendes. exceptus igitur ipsius succus melle optimo edulcoratur: daturq; quotidie comitialibus cochleare pue- Medicamentu e scilla lib. 7. c. 11.

pueris exiguum, prouectis magnum. ipsumq; Scyllæ corpus tritum cum melle datur cochleare: atque hoc uirtute secundum est. Hoc autem medicamento, nisi plane malo uicti fuissent, multos in quadraginta dierum spacio pueros pristinæ ualetudini restituisse Galenus memoriæ prodidit. Therince quinetiam antiqua eodem tum tempore, tē quantitate exhibita, quibus & medicamentū e pirethro, magnifice prodest ex aqua mulsa. Mitridatios præterea antidothus, nec non & Bithini bibendæ. hæc enim omnia concoctricem facultatem roborant, utiles humores procreant, et urinæ mouendæ apta sunt. nam quecunque medicamenta simplicia scribere opus esset, hisce continentur antidothis: cinamomum, casia, malabathri folia, piperis, seselisq; omnia genera. & quod nam ex ualentissimis remediis in istis cōpositis non reperies?

Actuar. libr. 5. c. 6. Antidothus asyncritos

Antidothus præterea Asyncritos, incomparabilem uocant, siquid aliud comitialeis accessiones mitigat. Ratio compositionis hæc est.

Myrrhæ, scrupuli decem & septem, lachrymæ papaueris scrupuli decem & octo, amomi scrupuli sex, petroselini scrupuli quindecim, seminis apii scrupuli duodecim, iunci odorati, scrupuli nouem, casiæ ægyptiæ, scrupuli quatuor, piperis candidi totidem, piperis nigri, scrupuli quindecim, sinapi syriaci, scrupuli duodecim: styracis, scrupuli sex, seselis, scrupuli quatuor, hediclirοi spissamenti, scrupuli quinque, mellis despumati quantum satis fuerit. exhibendi modus est drachma. Styrace melle deducto ac dilatato utere, & arida insperge: lachrymam papaueris, nēpe opium dulci sapa macerato, donec mellis induat crassiciem. Aureum quinetiam Alexādro adscriptum medicamentū idem munus præstat, cuius componendi rationem & ab Alexandro, & ab Actuario desumito. Quod uero Aegyptium nuncupatur, & ab Actuario describitur, quum omnibus uitiis occurrit, tum uel maxime comitialibus subuenit. Continet autem trifagi nis hyperici, singulorum dodrantem, centaurii minoris bessem, Aristolochiæ longæ septuncem, gentianæ semis-

sem,

ſem, ammeos quincuncem, mei trientem, petroſelini quadrantem, phuſextantem, agarici unciam, nonnulli & nardi celticæ ſextantem adiiciunt: radicis ponticæ drachmas treis, mellis quantum ſatis eſſe uiſum fuerit. modus exhibitionis eſt maiori ex parte drachma primo tẽpore ter in mẽſe, poſtea bis aſſumatur: & morbo liberat. Illinctus ad comitiales acumine morbi proritatos, potiſsimũq; ab atra bile factos. facit & ad cerebri imbecillitatem, & memoriæ iacturam. Cinamomi caryophyllorum, dulcis radiculæ, ſtyracis, maſtiches chiæ, ſeminis ocini, cardamomi, piperis longi, myrthidani, corticis citrii mali, ſingulorum ſiciliquus, & ſiliquæ duæ, inulæ candidæ, & rubræ, corallii drachma, & ſiliqua, moſchi granula octo, caphuræ grana quinque, zulapii ſexquilibra. Aliud comitialibus ſalubre, quod ad eundem authorem refertur. Seſelis, pyrethri, ſtæcadis, ſingulorũ duella, agarici ſextulæ quinque, lachrymæ cyrenaicæ, id eſt læſeris, cumini, ariſtolochiæ rotundæ, ſingulorũ duella, & ſcrupuli duo, aceti mulſi ſcyllini libra. Aliud Dianacordion Actuarii. Anacordiorum quadrans, croci, caſiæ, folii, ſpicæ nardi, mei, agarici, iunci odorati, rhæi ſingulorum ſexcunx, aloes ſextans, caryophyllorum uncia, Tithymi, acori, piperis, ſaxifragiæ, maſtiches, iridis, myrobolanorum ſingulorum quadrans, mellis quod ſatis erit. integer modus ſiciliquus eſt, cum mulſa dilutiſsima. Qui uero antidotho ſcãmoniæ ſiliquas ſex inferit, citra moleſtiam flauam bilẽ deiicit. ſi uero epithymi ſiliquas uiginti coniunxerit, atram bilem innoxie ſubducet, quod ſi colocynthidis idem pondus cum ſcãmoniæ pondere immiſcuerit, pituitam purgabit. His igitur per multos dies exhibitis, iterum purgatio cum prædictorum quibuſuis purgantium medicamentorum, uel paſtillis ex agarico mollienda eſt ex oxymelite cõfectis: quorum drachmã, uel quaternos ſcrupulos a cæna dormiturus, uel mane ieiunus ægrotans deſumet. uel ſal purgatorius, uel prædictorum alterum medicamentorũ dabitur. Sæpe enim pertinacia iuuantis malũ corporis uin-

lib.5.c.6.

lib.5.c.6.

cit. Quoniam uero hæc medicamenta impenſe calida exiſtunt, hyeme potius, aut ueris initio illis utitor, cæliq́ue ſtatu non admodum calido. in magnis uero æſtib⁹, uel eiſdem non uteris, uel eorum calidam facultatē corriges. Illud etiam perpetuò eſt obſeruandū, omnia iam purgantia medicamenta, roborantiaque nō ſtatim, quū parata fuerint, uerum poſt menſem exhibēda eſſe. Cæterum quemadmodum ex pyrethro & melle, ita ex betonica, pœoniaue cum melle, aut ſacchare in eorum decocto ſoluto linctuarium fieri poteſt, quo æſtate, ac cæli ſtatu calidiore uti conueniet. His demum omnibus rite peractis, pluribusq́ue interpoſitis diebus, ſi per uires liceat, indicæ hebeni decoctum innoxie exhibeto, in hoc autem ſimplicia medicamenta incoquito, quæ caput tum roborent, tum humores in eo impactos frigidos calefaciant, ſecent, ac per habitum digerant. quorum ſylua ſupra fuit cōmonſtrata. aut ſi mauis, ſimplex decoctum propinato. fiat autem in decocto, aut betonicæ, pœoniæq́ue aut fumariæ bugloſſiue, pro ut uel pituitoſus, melancholicuſue humor morbi cauſſa fuerit. nonnulli enim ſolo hoc hebeni decocto comitiali malo incolumes euaſiſſe fatentur. Interim theriaces unciam, aut mithridatios antidothi exhibeto: ſiquidem mirandum in modum proficiunt. His igitur, ueluti in conſpectum quendam, quatenus ſcire curanti neceſſarium eſt, adductis, capitis particulares purgationes faciundæ, ut ſi quid crassum adhuc, ac lentum in eo contineatur, id quoque per palatum, & nares eliciatur, in quem uſum ea ſunt, quæ quod pituitam per os educunt, & quod narib⁹ infunduntur, hæc ῥινεγχῦτα, illa ἀποφλεγματισμοὺς græci nūcupant, quæ comitialibus, ſiquid aliud, ſuccurrere ex Aſclipiadis ſententia Galenus memoriæ prodidit. Quæ uero per os pituitam eliciunt, aut commenſa idem munus præſtant, aut gargarizatu proſunt. Quæ uero naribus induntur, aut eundem ducunt humorem, aut ſternutamenta concitant. ſi quod autem medicamentum eiuſmodi ſit, quod bilem expurget, apophlegmatiſmus ſane dici

lib. de comp. medic. ſecundum locos. c. 2.

Indicæ hebeni decoctu[m]

Theriaca
Mithridatios antidotus

ne dici non debet, cuiusmodi elaterum existit, quod bilem repurgat Dioscoride authore, quo sane ad pituitam a cerebro eliciendam Galenum usum fuisse constat: quũ ea tantum, quæ nullum proprium ac familiarem trahũt humorem, quacunque corporis in parte fuerint applicata: cuiusmodi sunt pyrethrum, sinapi, uua taminia, atq; id genus alia permulta, pituitã tamen eliciant, apophlegmatismi dicantur. quemadmodum sane & ipsum nomẽ eorum apud græcos ostendit. neque propterea magnopere admirari debemus, etsi enim elaterum bilem repurget, pituitam tamen à capite trahere nemo non probat, Dioscoridesque testatur: quẽ utrumque humorẽ biliosum nempe atque pituitosum trahere, illudq; ipsum cum lacte muliebri naribus inditum dolorem capitis à caussa frigida factum curare Galenus scriptum reliquit. Hæc igitur omnia uel in pollinem redacta naribus indũtur ad sternutamenta citanda, pituitamq; per nares eliciendã, uel in succum redacta, uel unguenta, quæ tamen magnopere liquida sint oportet, ut sint sublia. infundantur autem per nasi fistulam. hæ uero geminæ quum sint, atque ab uno cannali cognatæ & cohærentes utrisque semel infundendum est. neque enim tolerabilis alterutrius naris sigillatim dilatatio, siquidem protinus caput accenditur, & acerbus dolor inuadit. Quod si per os caput repurgare nobis consiliũ extat, uel pilis, globulisq; ex eisdẽ medicamẽtis factis cõmansis, uel succis gargarozatis, uel unguẽtis ad os illinendũ, quibus palatũ & collumella illinuntur, uti par est. Hoc aũt in loco illud in primis monendum, quæ ualẽtissima in hũc usũ præsidia existũt, non statim inter initia admouere, sed ab imbecillioribus auspicari. Quin etiam ualida ipsa medicamẽta dum leniũ mixtura mitescunt, mediocria fiunt: atque idcirco lacte muliebri recenti leuigans ipsorum quædã, & aqua, mox oleo dulci, deinde betæ succo & anagallidis, quæ florem cæruleum profert, uicissim utitur. Cæterum sese frequẽter usum melanthio fuisse intra nares indito Galenus memoriæ prodidit. facili sane parata medicamento, in-

lib.4.c.156.

ibidem.

lib.2.de cõp. med.secũdum locos.

terim acri aceto pridie macerans, deinde postridie cum aceto rursus læuigans, & in nares per foramina infundēs: aut ægrotum id sursum trahere præcipiēs: interim oleo uetere illud ipsum læuigans, similiterque utens. Quod si cupiditas incesserit elaterio uti, eo diligenter contrito, & per harundinem insufflato, ægro ipsum attrahere iusso, atque deinde deorsum pronuere, quo uidelicet coactus liquor destillet, uti poteris.

Potest & in hunc modum ἔρρινον parari, quod multam humiditatem educet, comitialibus bene faciet, & capitis dolori, & iis, qui longa lippitudine infestantur. Melanthii drachmas octo, salis ammoniaci, elaterii, utriusque drachma: trita, & in tenuissimum pollinem redacta, oleo sicyonio, aut unguento irino, uel cyprino excipito, ut cerati crassitudinem acquirant, & in corneam pyxidem ad usum reponito: usus tempore nares illinito, iubetoq; ut sursum attrahat. Aliud citra dolorem & molestiam purgans. cydamini sicci drachmæ octo, iridis, siciliquus, nitri rubri drachma, (Actuarius elaterio usus est) diligēter contrita per harundinem insufflato: admonens eos, qui utuntur, ut sursum rapiant, deinde deorsum nutent, ut collectus humor defluat. Aliud. cumini quantum tribus digitis comprehendi potest, myrrhæ fabæ instar, cucumeris syluestris medullæ duplicata portione trita & lacte muliebri mixta in collyria redigito, & utrique nariū demittito, atque attrahere iubeto, deinde emungere. hoc etiam aurium dolori benefacit. Aliud, cucumeris agrestis foliorum succus naribus instillatur. & ipse priuatim, & cum betæ decocto, aut succo. Aliud. cidaminis succi cyathi duo, hederæ foliorū succi cyathus unus, peucedani obolus unus, elaterii tantundem: uitreo uase reponuntur, quum usus exigit, lacte muliebri dissolutum naribus infunditur.

Alex. lib. 1. c. 11. habet hcc mod. melanthij, salis hāmon. sing. drac. octo, elaterij drach. quatuor.

De ijs, quæ stenutamenta cient, ad eundem usum.

Sternutamenta quin etiam citantia medicamenta, ut quæ naribus admouentur, aut infunduntur, ἔρρινα etiam nuncupantur. Cumini igitur æthiopici, piperis candi-

di, herbæ lanariæ, castorii, æquas portiones, tusas, atq; incerniculo excussas in æneam pyxidem recondito. Quum usus flagitabit, concussam pyxidem naribus admoueto, aut digito ipsum inserito, uel per arundinem inspirato. Aliud, Zinziberis siciliquus, herbæ lanariæ tantundem, piperis, casiæ, utriusque drachma: utere ut prædictum fuit. Aliud. ualet ad eos, qui uetusto capitis dolore infestantur, & tenebricosa uertigine tentantur, atque comitiales. ueratri candidi drachmæ quatuor, radicis cucumeris syluestris, herbæ lanariæ, nitri, piperis albi, singulorum drachma, castorii siciliquus. utere quo diximus modo. Aliud. ueratri albi, radicis cucumeris syluestris, herbæ lanariæ singulorum partes duas, castorii, acori, nitri rubri, cumini æthiopici singulorum partem unam, euphorbii partem unam: contritis, ut dictum est, utere. Aliud. Piperis albi, ueratri nigri, castorii, euphorbii, herbæ lanariæ, cyclaminis succi aridi paria pondera: naribus penna prius irritatis inspirato.

Apophlegmatismi ad commemoratos affectus.

Quæ uero commansa caput purgant, & per emissaria palati pituitam eliciunt, multamque humiditatem ducunt, habent hoc pacto. obseruato autem ut mandentes deorsum pronuãt, & per interualla hient: quo collectus humor destillet. Post uero etiam aquam calidam in ore continuant: quæ etiam ubi multam perceperint mordacitatem, eis exhibenda est. fiunt autem ex sinapi, uel hyssopo cum passo coctis, aut uua passa trita cum pipere, uel melle oleo admixto, aut herba perdiculari seorsum, & ex melle detrita. Alius. Piperis albi drach. duas, origani totidem, staphosariæ totidem, casiæ tantumdem excipito, uuarum passarum exacinatarum, uel ficuum pinguium carne & mandenda præbeto. Alius. staphidis syluestris, pyrethri, piperis albi, hysopi cardamomi, singulorum æquales pactionis polentæ duplum aqua subigito, ac utitor uti dictum est. Alius. Hieri sexcuncem, anisi trientem, uuæ taminiæ quadrantem, foliorum lauri uiridium, & uuæ passæ exacinatæ pari mensura excipito:

& ex hac mixtum paſtillos trium drachmarũ pondere cogito, ſingulosq́ue uſu expetente mandendos præbeto. Hæc enim & Aſclepiadis commentariis de exterioribus. Quos uero Crito in primo de pharmacis ſcripſit, hi ſunt. Vua taminia per ſeſe, aut cũ pulegio manſa. Alius. Vuæ taminiæ, & origani utriuſque acetabulum, nitri drach. duæ, trita cochlearii menſura mandẽda probato, donec os pituita repleatur: deinde aperto ore effluere ſinito. Alius. Origani trientem, hyſopi ſemunciam, uuæ taminiæ tantundem, ſpumæ nitri drachmas duas, ſinapis totidem, pyrethri drachmas treis: contritis utitor. Alius. ſinapis partem unam, uuæ taminiæ partem unam, contuſis utere. hoc pharmaco multi utuntur. Alius. hyſopo, thymo, origano tum per ſeſe, tũ ſimul mixtis utitor. Alius. medullæ colocynthidis in aceto ad multum tempus coctæ, aut etiam per longum tempus in uino maceratæ liquorem in ore contineto. Alius. uuæ taminiæ drach. ſeptem, pyrethri drach. quatuor, hyſopi drach. unam, contuſa in orbiculares paſtillos cogito, eosq; drachmæ pondere formatos manducandos exhibeto.

De ijs, quæ gargarizatu proſunt.

Pæonia, hyſopus, pyrethrum, thymum, origanum, cucurbita agreſtis, ſynapi, & idgenus reliqua aqua decocta, & cum oxymelite uel ſimplici uel ſcyllino commixta gargarizantur ad commemoratos affectus.

Sunt qui cucurbitæ Syluestris medullã aceto incoquunt, & in ore diutius continent, aut uino longo tempore madefactam: ita præſenti eſſe remedio. Aliud Pauli. Sinapis contriti & expreſsi, aceti, mellis ſingulorum drachmæ quatuordecim, herbæ pedicularię drachmæ quatuor, pyrethri tantundem. tuſa, cribrataq; miſcẽtur, & in ſole gargarizanda dantur.

lib. 2. c. de cephalæa.

Habes tractationem de medicamentis, quæ commanſa pituitam ore educunt, & quæ in nares imponuntur, abunde tibi, niſallor, explicatam. Verum quoniã nõnulli huiuſmodi, ac reliquis purgantibus medicamentis parum circunſpecte utentes, dolores interdum, uel conuulſiones,

nes, aut ſuper purgationes, aut idgenus alia inferunt, & iuuamenti loco nō nunquam noxam excitant ſane nota non indignam, hæc de iis haud ignoraſſe decet. quod nō omnes amice eadem medicamenta eodem ſenſu percipiunt: ſed alii, ea etiam, quæ admodum potentia ſunt, ob corporis ſenſum difficultatem, uix percipiunt, alii quæuis uulgaria facillime perſentiunt: quemadmodum non nulli, quod meatus natura ſint fluxiles, uel ob materiei aptitudinem, inſtrumentorumq; molliciem, mediocribus purgantibus medicamentis cedunt: qui uero non ſunt huiuſmodi, tarde uel a potentioribus purgantur. Quo fit, ut priores, in ſuperpurgationes, et conuulſiones & contractiones, ac refrigerationes incidant: poſteriores uero, animi deliquiis, torſionibus, doloribus, uertiginibus, & animi deiectionibus capiantur. Porro pro portione afficiuntur, qui parte aliqua purgātur. Cuiuſmodi calamitates Hippocrates prius, Galenusq; poſterius in commentario de iis, quos purgare oportet, abunde demonſtrarunt. Quamobrem non a uehementibus, uerum a mediocribus, in omnibus iis, quæ adſumuntur, auſpicari oportet: partim ut ægroti ſenſus exploretur: partim ut exercitatus uehementiora perferre diſcat. ipſorumq; nimia uis, per medicamenta, quæ morſus ſunt expertia, atque emolliunt, eſt corrigenda. nam ſi ita ex methodo medicamenta offeres, ueluti ſupra præceptum fuit, ægrotus periculi nihil ſubibit.

Cæterum ut perfectius morbi huius curatio tradatur, ea, quæ reliqua ſuperſunt, breui perſcribemus: ab iis, quæ caput in primis roborant, exorſi. Secundum igitur purgationem tum uniuerſi corporis, tum capitis, conuenit præſeruationis cauſſa etiam uomitionibus iterum uti. etenim illæ quoque humorem, qui quotidie colligitur, euacuant, neque permittūt in unum cumulari. Proſunt autem quæ ante cibum mouētur, ſed utiliores multo, quæ poſt cibum, multoq; magis adhuc quæ ex rhaphani radicibus, eſcis pinguioribus, ciborum repletione, eorumq; dulcium eſu, & ebrietate ſolicitantur. nam eiuſmodi

modi uomitiones,siquid crassum in stomacho ac lentum inhærescens inueniant, omne dissipant, ac liberant. Atque hæc sane eo modo in omnibus comitialibus agēda censemus. Post igitur uniuersi corporis capitisque purgationem, reliquum superest, ut ultimum medendi scopum exequamur, partium nimirum corroborationem. Illud uero præclare facient ea, quæ discutiendi, attenuandi, ac cerebrum roborandi facultatem obtinent. quæ quum extrinsecus corpori adhibeātur, τοπικὰ, καὶ μερικὰ græci nuncupant. Caput igitur primum lixiuia, in qua uerbenacæ uiridis, quartum manu capi potest, incoquatur: ubi desit uiridis, arida cum radicibus utendū, rutæq; tantundem adiiciendum, abluatur, suauiterq; detergatur. mox lintheolis moderate calidis siccetur: dein unguenta capiti admoueātur, ubi suturæ, in primisque coronalis, sitæ sunt. eaq; talia, quæ discutiendi, attenuādi, cerebrumq; in primis roborandi facultatem habeāt: in quibus adstrictionis nonnihil adsit oportet, ueluti rutaceum, irinum, sampsuchynum, & quod e serpillo parari solet, uel euphorbio: quæ tamen quum nulla ui adstringente prædita sint, iis interdum non solis, uerum adhibita facultate adstringente uti licebit: qualem uerbenaca, menta, laurus, nardus, casia, atque idgenus alia obtinent: ex quibus eleum parari potest, quod sæpe ad hūc usum modo iam commemorato est admouendum. oleū quinetiam laurinum, quod uocant, & quod e castorio conficitur, quum permulta recipiant adstringentia medicamenta, huic affectui accommoda fore non est qui iure id neget. quorum ualidam facultatē, ueluti & eius, quod ex euphorbio paratur, alio mitiore refringes, aut etiam cera adiecta. quæ omnia & in aures imponi ad cōmemoratos effectus possunt. Vnguentum præterea e balsamo maximopere roboraret: quum tamen perdifficile paratu existat, melanthino experientissimi Zoar testimonio uti poteris.

De Oenantharijs, suffimentis, & Cyphi.

De his Paul. lib.7.c.21.

Possunt & eadem, ex quibus unguenta fieri dictum est, in

eſt, in pilam maiorem redigi, œnanthariumque conſtitui, quod naribus adhuc ſpirantibus frequenter admoueatur. inter quæ primas parteis obtinet melanthium aceto pridie maceratum, ſi cum ſtyrace, aut cera coactum fuerit. idem faciũt & thymum ex aceto tritum, origanum, pulegium, ruta, ſerpillum, menta, uerbenaca, laurus, & id genus reliqua.

Oenanthini confectio, quæ caput obſtructione liberat, cerebri ſinus repurgat, humores concoquit, & per halitum digerit.

Verbenacæ uiridis, mentæ, lauri foliorum, ſampſuci ſingulorum drachmæ quatuor, ſpicæ nardi, caſiæ, ſingulorum drachmæ tres, caſtorii, maſtiches chiæ, ſtyracis ſingulorum drachmæ quatuor, coſti, amomi, myrrhæ, ſingulorum totidem, ladani ſexquunx, oleo ſycionio læuigata omnia excipiuntur, & in pilam maiorem rediguntur, naribusque ſpirantibus frequentiſsime admouẽtur.

Aliud. Melanthii, iuniperi, roriſmarini, ſingulorum uncia, laxani ſexquunt, ſtyracis drachmæ ſex, ambaris drachma una, ſemis, læuigata ſtyrace excipiuntur ad commemoratos effectus.

Suffimen ad idem. Thymi, origani, mentæ, rutæ, ſingulorum quantum manu excipitur, uerbenacæ tantumdẽ, lauri baccarum ſexcunx, aceto pridie macerata incaleſcunt, & in conſtricti urna oſtii naribus uapor hauritur.

Aliud. coſti, caryophylli, caſiæ, ananthes, ſingulorum uncia, thymi, mentæ, uerbenacæ, dimidium eius, quod manu comprehenditur: tunſa cribrataque ſtyrace, & ladano excipiuntur, globulique finguntur: quorum alter inceſsãter ægroti naribus adhuc ſpirãtib⁹ admoueatur.

Medicamenta, quibus aridis utimur, Xeria uocant.

Capiti præterea illa eadem in pollinẽ redacta, lineaq; ſindone incluſa applicari poſſunt: ξήρια græci uocant, & cataplaſmata ab aſpergendo nuncupata. hæc autem cuti non inunctæ accomodari debent. inter quæ Zoar caryophylli, maſtichesque pollinem probat, eoque loci hæc omnia in capite ponenda, quo ſupra, dum unguẽtorum

 meminimus,

meminimus, abunde fuit demonstratum. Cephalicum aridum capiti conueniens, discutiens, & cerebrum corroborans. Verbenacæ aridæ, betonicæ, mentæ, pæoniæ, sampsuci singulorum uncia, mastiches chiæ, caryophylli, singulorum drachmæ duæ, sandaracæ sexquidrachma, cupressi turionum drachma una. læuigata coronali capitis suturæ ulla absque perunctione imponuntur. Aliud. Corticum mali medici drachmæ quatuor, stæcadis, calamintha, sampsuci singulorum drachma una semissis, caryophylli drachmæ tres, glandis unguentariæ, machyris, singulorum drachmæ duæ, ladani uncia, spicæ nardi, scrupuli quatuor, sandaracæ drachmæ duæ, coralliorum rubrorum singulorum drachmæ duæ. seorsum læuigata una commiscentur ad commemoratum usum. Aliud. stæcadis, uerbenacæ, pæoniæ, rutæ, singulorum drachmæ sex glandis unguentariæ dræchmæ tres, caryophylli, mastiches singulorũ drachmæ duæ: læuigata capiti imponũtur. Sunt & quæ auribus indita quod reliquum est noxii humoris in capite discutiunt. illud uero optime facit spicæ nardi pollen, pæoniæ, uerbenacæ, stæcadis, & aliorum id genus. iecur item milui læuigatum, atque auribus inditum idem munus obit.

His igitur, & huiuscemodi aliis permultis capiti robur addetur, quæ si parum profecisse uidebuntur, ad ea, quæ ultima sunt auxilia, ueluti ad sacram ancoram confugiendum necessario erit. quæ si quid aliud comitiale malum cerebri uitio præsertim factum auferre creduntur, nempe synapismus & capitis candenti uel auro, argẽto ue, aut etiam ferro mustio, quum enim primo auxilio materia ad capitis cutim euocetur, ab ea cerebrum liberatur: utilissime igitur capiti apponitur. quod tunc satis profecisse putato, ubi dolor subsecutus fuerit ualidus: & caro liuidior, atque altior euaserit, & postquam fuerit ablatũ mitius pustulæ & bullulæ aqua plenæ φυδράκια uocant, eruperint. Neque uero his terreri debes, quando ad uetustos affectus & perseueranteis, qualis est comitialis, iis potius solui medicamentis cõtingit, quæ ualentiora esse uidentur.

uidentur. Fit autem sinapismus hoc modo. Ficus siccatæ pridie in aqua tepente macerari debent, die insequuta probe expressæ ualenter læuigari, deinde atære sinapi priuatim conteri diluto illarum affuso, factaq; massa admisceri. Et si uehementem sinapismum uolueris inducere, parteis duas sinapis cum una ficuum temperabimus, sin imbecillam, econtrario, si mediocrem, æquales. Cæterum sinapi antequam alteretur, aceto commadescens (uti nonnulli factitant,) languidius euadit. Si dolor uehemens ruborque accesserit, & pustulæ, lintheolum maluæ succo, aut fœnigræci cum rosaceo madefactum imponemus, deinde rosaceo cerato cum cerussa utemur. Item caprarum fimus cum aceto illitus, sinapi efficacior est. ualentior autem fiet, qui per cantharides fieri solet, sed tribus ante diebus, quàm his utamur, lac, ut uesica muniatur, bibendū est. siquidem cantharides uesicam magnopere lædunt. Alius cutis ruborem magnopere inducens pustulasque. Ammoniaci cum anserino adipe resoluti, aut milui, unciæ duæ, fermenti uncia una, sinapis læuigati semuncia, cantharidum, pœoniæ drach. duæ. cōtrita quæ cōteri debēt, & in cataplasmatis morem capiti induntur, superponunturque quousque cutis ruborem contrahat, pustulasq; faciat, & crustas. postea auferuntur, caputque milui adipe perungitur. iterumque illud idem apponitur ad commemoratos effectus. Hæc autem uicissim persequere, donec cutis fœda, pustulisque referta abunde fuerit, quā ita seruabis per sexaginta dies. simile.n.innuebat Auicēnas dum ex Ruffi Ephesii sententia ita scribebat. Inquit Rustus, quum apparet Albaras in partibus capitis epileptici significat resolutionem epilepsiæ, & sanitatē. Alius. sinapis, castorii, singulorum pares portiones aceto quā acerrimo contrita soluuntur, capitisque tribus præsertim suturis imponuntur. Alius. Emplastri e sinapi parati unciæ duæ: scyllæ semuncia, costi, euphorbii, radicum capparis singulorum drachmæ tres, læuigata aceto ac uino odoro commiscentur ad prædictos usus. Alius

Sinapismus quō fiat

caprillus fimus

pr.3.tr.5.c.8.

ualidiſsimus, qui & attonitis benefacit. Galbani, ſagapenii, opoponacis, ſingulorũ unciæ duæ, ſulphuris ignẽ nõ experti drach. una ſemiſsis, terebinthinæ reſinæ uncia una, læuigata aceto diſſoluuntur: uti ſpiſsitudo ſordibus ſimilis ipſis fiat, quo facto illinito caput, præſertim ſi pilis caruerit: & quum remedium recte profecerit auferto, ſiquidem ueſiculas, ac puſtulas inducit. Sunt & qui caput candenti aliquo aut ferro, aut auro inurunt, ad cerebri tum calefactionem, tum roborationẽ. ſiquidem materiæ plurimum diſcutitur, ampliorem que per meatum excernitur, atque per halitum digeritur. Illud tamen nõ niſi in oculorũ lippitudine, & orthopnæa, elaphantiaſique uti debere nos Paulus admonet. Alexander quoque Trallianus in comitialis morbi curatione de caluæ perforatione, & ipſius inuſtione ſupplicii plus, quam auxilii huiuſcemodi præſidium ægrotis afferre ſcriptum reliquit. Si tamen inuſtio facienda ſit, nullo pacto in capitis ſuturis, ſed prope ſuturã paulo uel ſupra, uel infra fieri præcepit. ex ſuturarum enim uſtione periculum ingens quemadmodum & ex earum uulnere contingere ſolet. Hoc autem modo caput inuritur ex Paulo. Vertex ad cutim prius tondetur, cutis ad uſq; os ferramentis mucronatis aduritur, quod ubi cruſta deciderit, raditur. nonnulli uero ubi idipſum os aduſſerint, faciũt ut ſquamma inde recedat exigua, quo facile humores illinc perſpiratu diſsipentur, euacuenturque ſeruato diu ulcere. deinde ſic ipſum ad cicatricem perducunt. Aretæus uero ita caput inurere docet. In primis os perforare inquit uſque ad ſecundam laminam oportet, deinde ceratis cataplaſmatiſque uti tantiſper, donec membrana ab oſsibus receſſerit. terebra nuda oſſa circuncidere conuenit: ac ſi paulum reſiſtant, uſque ad ſpontinã auulſionem perſeuerandum, quouſque nigra non nunquam iſtorum & craſſa membrana inuenta fuerit, quumq; per putrefactionem, uel etiam purgationem audacter curãte medico uulneri cicatrix inducta fuerit, ægrotus morbum euaſit. Celſus uero non in occipitio quoque, & infra,

lib.6.c.2. *lib.1.c.15. in fine.*

ibidem.

lib.1.de diutin.morb.curatione, c.4.

lib.3.c.23.

fra, quà summa uertebra cum capite committitur, adurere duobus locis præcipit, ut per ea perniciosus humor euadat. suaserim tamē ego omnibus aliis prius uti debere, totisque nos uiribus eniti, ut morbus uel auferatur, uel insigniter minuatur. Quod si neque medicus, neque ægrotus uoti compotes fuerint, nequid intactum relinquatur, maturius tunc de capitis ustione consulendum. in quo peragendo negocio illud maxime obseruādum, quod magnus ille Zoar memoriæ prodidit, nempe hanc uerticis inustionem nunquam esse exercendam, nisi affectus, in quo caput uri debet, ab humiditate proueniat, qui si a caliditate, aut siccitate, aut utraque ortum traxerit, in eo curādo nunquam caput urendum. etsi per multi sint, qui plureis, etiam ætate prouectos, hoc auxilio curasse tradunt. *lib.* 1. *tr.* 9. *c.* 13.

His igitur omnibus si finitum malum non fuerit, prope est, ut perpetuum sit. ad leuandum id tantummodo utendum erit exercitatione, multa frictione, cibisque his, qui supra comprehensi sunt, præcipueque uitanda omnia, quæ ne fierent, excepimus. Cæterum quoniam occasio præceps maxime existit, certaque rei quantitas ad unguem neque scribi omnino, neque dici potest: hanc omnem methodum curatricem, omniaque in ea perscripta auxilia ita medici legent, & accipient, ut morbo huic laborantibus succurrētes, qui tūmorbi genere, tum ætate, tum sexu, tum anni tempore, tum uitæ instituto, tū uiribus diuersi erunt, ita iis utantur, ut quoad eius fieri maxime poterit, ægrotis sint tuta & accommoda.

Habes igitur sermonem bene longum hominis utinam non impudentis, illud quidem certe non nimis uerecundi. in quo ea fere omnia complexus fui, quæcunq; huic depellendo morbo idonea fore existimaui.

Quod si nōnulla etiam addidero, perfectam huiusce morbi curandi rationem tradidisse uidebor. ea uero sunt, ueluti ornamenta quædam ad perficiendam omnem comitialis mali primogenio in cerebro facti curationem. secundum quæ, & duorum, quæ reliqua sunt, eius mali generum

nerum curationem tradam. His igitur omnibus rite peractis, si curatio non probe respondeat, ad ea, quæ ueteres tradiderunt, atque naturaliter, totaq; (ut aiunt) essentia & proprietate, hoc est latenti quadam eorum natura agunt, confugiendum. Hæc enim propterea quòd collo suspenduntur, περίαπτα græcis dicuntur. quorum tamen quum nulla ratio habeatur, empyricis, qui experientia nitũtur, sunt relinquenda. Cæterum quum nonnulli his naturalibus remediis oblectentur, eisq; uti desiderent, atque experientia constet interdum hæc non parum profuisse: ea ratione illud efficere dicendum uidetur, qua quod ἀλεξητήρια, atque ἀλεξηφάρμακα medicamenta δηλητηρίοις aduersantur. Vt igitur nihil intentatum omitteretur, rationi consentaneũ existimaui, studiosis de his quoq; nõnulla percensere: ut medicus omni ex parte ad opem ægrotis ferendã esset instructus. Inter quæ Pæonia primas obtinet parteis. quæ etsi manifesta qualitate, nimirũ siccãdo prosit, latenti tamẽ natura mirifice confert. Quamobrem mirandum non esse Galenus ait, si ea ex collo pueris suspensa comitialeis insultus mire persanat. nouisse enim quandoque puellum inquit neutiquã hoc tentatum postea morbo, quam radicem pæoniæ magnam recentemq; collo suspensam gesserat. Veri itaque simile esse scribit, aut parteis quaspiam a radice defluentes, ac deinde per inspirationem attractas affectos ita locos curare, aut aerem a radice assidue mutari, & alterari. Pueris igitur adligata pæonia comitiales morbos abigit. Illud uero siccitas non mediocris, & partium tenuitas adstringenti quadam facultate coniunctæ efficiunt, uti spiritus animalis, ac cerebrum usque adeo robur acquirant, ut noxia quæq; atque superflua a sese depellant. Hac igitur ratione pæoniæ propria substantia comitialibus prodest, tum pituitosum humorem, aut etiam melancholicum a cerebro depellens, tum cerebrum ipsum roborans, ut eosdem aut humores, aut halitus non amplius recipiat. ita igitur qualitates euidentes occultam propriamq; facultatem adiuuant. Pyrethrum suspendendum

lib. simpl. medi. 6. c. 1.

Paonia

Pyrethru

dum aliqui collo ſuadent: quod quamuis manifeſta qualitate, quam καυστικὴν habet, non minimum prodeſt, quando ſtupidos ναρκώδεις græci uocant, ac reſolutos adiuuat, latenti tamen quadam natura idem munus præſtare creditur. Sunt et qui Peucedanum tota ſubſtantia comitiali morbo conferre exiſtimarunt: quum tamen Galenus affectibus cunctis ex humorum craſsicie lentoreq; prouenientibus, omnibusq; circa neruos affectibus, conſiſtentibus conuenire ex euidentibus qualitatibus ſcriptũ reliquit. Aurum quinetiam purum Alexandro teſte, aliorum tamen authoritate brachio adligatum comitiales morbos abigit. Smaragdus collo ſuſpenſus idem facit Zoar, Raze, Raby, Moſe ac Serapione authoribus. Selenitis item lapidis ramenta comitialibus bibenda utiliter dantur, colloq; pro amuleto ſuſpenditur, Dioſcoride authore, quemadmodum & Aethius tritus, ceratoq; exceptus cyprino, aut glaucino, aut alio calefacient. ceratum uero capiti, non alicubi admouendum eſt. Iaſpis ſimilis calaino, digito impoſitus geſtatur, & liberat: eſt autem precioſus. Corallium, pæoniam, ſolaniq; radicẽ luna inclinante collectam, illigatamq; lintheo lineo appendito. Ferunt & Damocratem Athenienſem, quum adoleſcens eſſet, & morbo comitiali teneretur, ad Delphos profectum fuiſſe, eumq; rogaſſe Deum: quum plærique ei offerrent adliganda morbo contraria, quali ex eis uteretur, ac Pythiam reſpondiſſe.

Peucedanum

lib.8. ſimpl. med.c. 1.

lib.1.c.15.

Aurum

Smaragdus

Selinitis lapis

lib.5.c.150.

„ Μέιζον ἀειράμενος κεφαλῆς ποιμνήϊον ἐυλὴν
„ Μηκάδος ἀγρονόμοιο, δέρας περικάμβαλε μήλου,
„ Ερπυστὰν πολύπλεγκτον ἐΰρίνον ἀπὸ κόρσης. ideſt.
„ Longum de grege tolle capellæ uertice uermem
„ Ruris amatricis, & ouis da tergora circum
„ Multiuago uermi pecoris de fronte reuulſo.

Damocrates quum hæc audiſſet, expendebat quid tunc Deus loqueretur: quum autem ipſe profectus ad Theognoſtrum Democratium nonageſimum octauum annum iam agentem ueniſſet, oraculum huic denunciat. Ille autem uehementer miratus dei prudentiam, uatis Pythiæ obſcu=

obſcuritatem, & obliquum dictum ſententiam oraculi manifeſtauit. Gregariaurm inquit caprarum caput naturaliter multis uermibus iuxta cerebri baſim plenũ efficitur, ac ſternutamentis animali obortis multi uermes in nares capræ inſiliunt. oportet igitur ueſte ſubſtrata, ne terram attingant, illos excipere, unum, uel tres, & indutum pelle nigræ ouis tenero collo adligare: atque hoc ait morbo naturaliter aduerſari. Aſini frons cuti adligata, geſtataque morbo liberat. Aniſum qui manu teneat, haud corripi Plinius author eſt. Multa præterea Alexander amuleta refert, quæ conſulto prætereo: quũ præſertim plerique ſint indocti, qui eos accuſant, qui naturalibus iſtis auxiliis utuntur, quum tamẽ ii potius ſint incuſandi. Ego enim ſemper in morbis medendis iis uſus ſum, quæ ratione atque experimento fuere comprobata. Sed conuenit peritum medicum omni modo auxiliari tum naturalibus utendo, nempe iis, quæ latenti natura ſunt efficacia, tum ſcientifica ratione, methodoq; artificiali, quodq; recte dici ſolet, omni modo properandum eſt, ut longo morbo & prauo ægrotum liberes.

Lib. nat. hiſt.
Lib. p. c. 15.

Mihi igitur in hoc propulſando omnibus uti placet: dum tamen ne continue eis, quæ naturaliter operantur, utar. quin potius conatus ſemper fui artificioſa quadam ratione non hunc tantum, ſed & alios permultos ſuperare. Ac noui non comitiales modo, ſed & alios etiam morbos uictu ac medicamentis fuiſſe ſuperatos. Quamobrem etiam nunc conſulo, ut is, qui comitialẽ uelit euadere, hac potius ſupra nunc commemorata uictus atque medendi ratione utatur: neque ſucceſſu fruſtrabitur.

Sunt autem & quæ eadem proprietate ſubſtantiæ intus deſumpta ſimiles agunt effectus. quemadmodum Seleniti lapidis ramenta potu exhibita. Samius lapis eodem modo datus: Aphroſelinus item Galeno authore, eius tamen periculum nondum feciſſe ſcribit. Lapidem armenium, quum nigram bilem præclare purget, Alexander ad comitiales affectus mirifice effert: illumque nunquam exhibuiſſe refert, quin uoti compos fieret. dabat autem

lib. ſimp. med.
lib. p. c. 15.

autem denarii pondere: nullumque demum præsentius inueterati comitialis morbi remedium lapide isto arme nō reperiri: multosque nouisse ab aliis medicis deploratos scribit, qui solo lapidis huius usu ualetudinem receperunt. ubi enim adsit aliqua bilis nigræ nota, maxima cū utilitate semper offerendum esse contendit, eo tamen modo paratum, quo alios omneis lapides parari abluiq; Dioscorides & Galenus memoriæ prodiderunt. etsi Alexander eluere illum ait oportere usq; ad quinquagenas uices, quum tamen græcus codex, quem uidi, duodenas habeat. tutius tamen ex Dioscoridis Galenique sententia suaserim tot uicibus abluere, quoad usque aqua ipsa ab omni sorde pura uideatur, atque omni medicamēti qualitate, saporeque careat. Cameli cerebrum arefactum, atque ex aceto potum comitialibus subuenire, Galenus memoriæ prodidit. Fel item eiusdem cum melle potum idem facere Plinius est author. quemadmodū & cinis e fimo eiusdem potus quantum tribus digitis capitur. Mustelæ cerebrum, & sanguis arefacta & pota. eiusdem caro salita, & post inueterata ac siccata comitialibus proficiunt Dioscoride Galenoque authoribus. Ventriculus præterea eiusdem coriandro farctus, inueteratusque potu eisdem auxiliatur. quemadmodum & testes uuluæque. iecur item sine felle cū dimidia aquæ hemina ieiuno ad treis dies utiliter propinatur. eadem omnia prædicantur ex Viuerra. Ossa combusta, quū digerente admodum siccantemque habeant facultatem potissimumq; humana comitialibus epota succurrunt Galeno authore. cranio ego hominis nonnihil combusto utendū suaserim, quemadmodum & Plinius ex Artemonis sententia refert. Equorum lychenes cum aceto tritæ, & potæ, lactisq; equini potus illud ipsum præstāt. Elephantis iecur assum, & in cibo sumptum, uerumtamen ieiunis præbendum præcipitur. Dantur & leporis sale adseruati pulmones cum thuris tertia parte in uino albo per dies triginta. Item eiusdem coagulum, ueluti & Fibrinum. Cæterum ingenium ipsa natura inditū est,

lib. 9. simpl. med h

lib. 1. c. 17.

lib. de cōp. theriaca ad Pisonem.

lib. 1. c. 27.

lib. simpl. medi. 11.

lib. 11. simpl. med.

lib. nat. histo. 18. c. 1.

ut ipſum euomat, quemadmodum & fel, ob ea ſe peti prudẽs, Plinio authore. Theophraſtus author eſt angues eo modo, & ſtelliones ſenectutem exuere, eamque protinus deuorare, præripientes comitiali morbo remedia: quo autem modo præripiatur, Plinius naturalis hiſtoriæ libro tertio oſtendit. Vituli marini coagulum, quum ui res caſtorii repræſentet, comitialibus in potu conferre creduntur. Ciconiæ fimum ſi ex aqua hauriatur, eidem morbo prodeſſe ferunt. Teſtudinis item terreſtris ſanguinem epotum idem facere tradunt, eadem amputato capite pedibusq; pro antidotho dari dicitur: & ex iure in cibo ſumpta comitialẽ morbum propulſare Plinius ſcribit. Eiuſdem quin etiam ſanguis cum polline frumenti manditur aduerſus eundem, miſcetur autem ſanguis heminis tribus aceti, hemina uini addita his, & cũ hordeacea farina aceto quoque admixto, ut ſit quod deuoretur, fabæ magnitudine. hæc ſingula & matutina & ueſpertina dantur, deinde poſt aliquot dies ueſpera. comitialibus item inſtillatur ore diducto his, qui modice corripiuntur. Vrſinos teſtes ediſſe comitialibus hominibus prodeſt, uel aprinos bibiſſe ex lacte equino, aut ex aqua. Item aprinam urinam ex aceto mulſo, efficacius, quæ inaruerit in ueſica ſua. Dantur & ſuum teſtes inueterati tritique in ſuis lacte præcedente uini abſtinentia, & ſequente continuis diebus. Arietini item inueterati tritique dimidio denarii pondere in aqua, uel lactis aſinini hemina: interdicitur uini potus quinis diebus ante & poſtea. Aſini cerebrum ex aqua mulſa infumatum prius in foliis ſemuncia per dies: uel ungularum eius cinis cochlearibus binis toto menſe potus. uel iecur eiuſdem aſſum & eſitatum. item teſtes ſale adſeruati, & aſperſi potioni in aſinarum maxime lacte, uel ex aqua. Sunt & qui e mare nigroque cor edendum cum pane ſub dio prima, aut ſecunda luna præcipiunt. Alii carnem, aliqui ſanguinem aceto dilutum per dies quadraginta bibendum. Fel etiam agninum cum melle præcipue laudatur, & ſanguis pecudum potus. Catulus lactens ſumptus abſciſſo capite pedi-

cap. 10.

te pedi-

te pedibusque ex uino, et myrrha. stellionis transmarini cinis epotus. Lacerta uiridis cum condimentis quæ fastidium abstergant, ablatis pedibus & capite. Cochlearũ cinis addito lini semine, & urticæ cum melle inunctos sanat. Prædicatur & iecur milui deuoratum. Fama est & uulturis cerebrum, & crudæ fulicæ cor, & domesticos feles comesos morbum discutere. Iecur item uulturis tritum suo cum sanguine ter septenis diebus potum. Cor pulli uulturini adligatum, sed & ipsum uulturem in cibo dari iubent, & quidem satiatum humano cadauere. Quidam pectus eius bibendum suadent, & in cerrino calice cerebr capræ Magi per annulũ aureũ traiectũ, priusq̃ lac detur, infantibus instillãt cõtra comitiales, cæterosq; infantium morbos. Crocodyli terrestris intestina contra eosdem bibuntur ex aceto mulso binis obolis. Referunt quidam partem auis osifragi crematam potu morbum auferre. Aliud ex Stratonis sententia. Cani diebus quatuordecim incluso ossa tantum deuoranda dato, decimoquinto die ex albo canis stercore cochleariũ duorum instar comburito, ac diebus quinque propinato. Galli gallinacei testes in puluerẽ tritos ex aqua, & lacte ieiuno præbeto, idque diebus quinque facito: uino autẽ abstinendum est. Solani radicem luna declinante acceptam tundito, atque eam potui dato, primo quidem die semel, deinde bis, postea ter, tandem quater, atque ita ordine, donec quindenis uicibus eam sumpserit. Arcanum autem hoc esse Alexander ait, & multis mirandum. Viscum id, quod e robore præcipuum habetur, si prima luna colligitur e robore sine ferro, terramque non attigerit, comitialibus mederi tradunt. Quin & eundem affectum sanari cibo e carne feræ eodẽ ferro occisæ, quo homo interfectus fuerit, ex Pythagoræ inuentis Plinius est author. Gladiatoris item occisi, aut alterius cuiuspiam panuiculum cruentum cõburito, ac cineri uinum commisceto: ubi septies hoc dederis ægro, liberabis. Hoc insigne experimentum sæpe comprobatum fuisse idem author memoriæ prodidit. nec mirum, quando

lib. I. c. 15.

Democritus ille, quem tanti fecit Hippoc. in morborũ quorũdã curatione pollutione inquit opus esse: uti sunt cædes, & culpæ, & menstrua mulieris, & sacrarum auiũ, uel uetitorum animantium carnes cibo datæ, & sanguinis potus. nam & hunc ipsum morbum ita curare præcepit, efficaciæ potentiam præferens, & uitans inquiri rationem. Aretæus uero ueluti & Septimius Florẽs in apologetico nõnullos uidisse ait nuper iugulati hominis uulneri phialam subiicientes, atque inde haustum cruorem bibentes: apud quos miserum auxilium tolerabile miserius malum fecit. O ingentem necessitatem, quempiam sustinere, malum malo piaculo depellere. Atqui ad sanitatem ex ea nec ne isti peruenerint, neminẽ illi uere affirmare potuisse ait. Quin & quendam authorem legisse tradit, qui humanum iecur epulandum apponi præcipiebat. Sed hæc illis scripta sunto, qui ad hunc usque miseriæ terminum peruenerunt. Cæterum antequam finem huic disceptationi faciamus, dicendum uidetur de eius generis morbi curatione, quod a stomacho cõsortii quadam lege, deque eo, quod ab aliqua corporis parte fieri solet. Nam, his cognitis, facilius perfectiusque unius cuiusque animus ipsam rationẽ ac uiam curandi hunc morbum consyderare poterit.

lib. 1. de cur. morb. diutin. cap. 4.

Sed quoniã sermonis serie ducti permulta simplicia medicamenta explicauimus, quæ propria & indicibili qualitate comitialibus morbis profligandis a ueteribus idonea credita sunt: nunc exponamus reliqua, (nequid intactum omittatur,) quæ euidentibus qualitatibus id ipsum efficiunt. constat enim, quæcunque potu comitiales iuuant, ea dissecantis esse facultatis: secant autem quæcũque sunt amara: igitur amara medicamẽta comitiali malo summopere conueniunt, siquidem abstergunt, expurgantque, & quæ in uenis est, crassiciem secant, eaque ratione comitialibus conueniunt. Anthyllis igitur, ea scilicet, quæ chamepithyi persimilis est, quum tenuium magis sit partium, quam altera, magisque extergat, comitialibus conuenit. Plinius dat cum melle & aceto quatuor

tuor drachmis. Spodyli fructus acris quum sit, secantisq; facultatis ad comitiales aptum est medicamē. radix quin etiam ad idem accommodatur. Seseleos fructus, quum impense calfaciat, & tenuium sit partium, ueluti & beto nica, quæ abstergit expurgatq;, comitialibus subuenit. Aristolochiæ radix potissimum rotūdæ comitialibus au xilio est, si cum aqua bibatur. nimirum quum tenuium sit partium, calfaciendi, extergendi atque siccandi uim obtinent. Plantago decocta comitialibus data proficit Dioscoride authore. Eryngii radix cum aqua mulsa. Ro ris marini omnium generum semen auxilio est, si comi- lib.2.c.140 tiale malum sentiatur. Laser ex aceto mulso: Sagape- nium Ammoniacum, Cancanum: Xilobalsami semen potui datum.

Semen & folia trifolii acuti aut odorati in aqua epota. Conyzæ paruæ flos ex aceto potus. Vitis albæ radix dra- chmæ pōdere in potu quotidie anno toto comitialibus utiliter datur. Vitis item nigræ caules, qui primo germi num partu erumpunt, & in holera recipiuntur, comitia li malo tentatis prosunt. Staphylini, (pastinacam erra- ticam uocant,) semen ex aqua idem potest Plinio au- thore. credunt & allium comitiales curare, si quis eo in cibo utatur, ac potione. Brassicæ ius decoctæ addito sale potum. Pulegii semen in aceto cyathi mensura. Piperitis, quam siliquastrum uocant, contra comitialeis morbos bibitur. Spumei siue heraclei papa- ueris semen tunditur in pila comitialibus morbis aceta- buli mensura in uino albo. Portulaca decocta, cibo aut potu. Maluæ, & altheæ decoctæ succi hemina datur. Viola purpurea comitialibus medetur, præcipue pueris ex aqua pota. Thymum utiliter eisdem datur. quos etiā correptos olfactus excitat thymi. aiunt & dormire eos oportere in molli thymo. Centum capita herba ex mul- sa epota. Amygdalæ nuces amaræ cum amylo & menta lethargicis comitialibusq; prosunt. Lothus, quæ alias faba græca uocatur a nostris, ramenta ligni decocta in ui no idem faciunt. Populi nigræ semen ex aceto potum.

Ano-

Anonydis radix in aceto mulſo coċta ad dimidias. Panacis, quam heracleam dicunt, radices potæ cum coagulo uituli marini, ita ut ſint panacis partes tres. Folia quinquefolii ex aqua ſanat & baccaris radix arida, in puluerē contrita cum coriandro in aqua calente. Centunculus trita in aceto, aut melle, aut in aqua calida. Verbenaca ex uino pota. Syluestris rutæ decoċtæ ſuccum olim comitialibus bibendum in cyathis quatuor ante acceſsiones dederūt, quarum frigus intolerabile eſt Plinio authore. Nunc quoniam ſimplicia medicamenta, quæ comitialibus opitulari creduntur, expoſita ſunt: reliquum eſt, ut oſtendatur quibus quodq; comitiale malum medicamētis purgantibus confici poſsit. Inter ea igitur quæ purgandi facultate prædita ſunt, ſimplicia medicamenta, & quæ comitiali malo obnoxiis habētur accommoda, granum ſeſamæ in uino dulci datur ad detraċtiones quantū tribus digitis accipitur: miſcentq; ueratri albi unum ac dimidium obolum, purgationem eam adhibentes comitialibus, & per ſeſe drachmæ pondere exinanit. Veratrum item album, nigrumq; comitialium materias extrahit: ſi eo modo, quo Paulus, Alexander atque alii præparant, exhibeatur, Druſi exemplo, quem Tribunorū populariū clariſsimū, cui ante omnes plebs ſtans plauſit, optimates uero bellum Marſicum imputauere, conſtat hoc medicamēto liberatum comitiali morbi in Anticyra inſula. ibi enim tutiſsime ſumitur, quoniam ſeſamoidem admiſcent. Hippophæſti ſuccus tribus obolis in aqua mulſa datur ad aluum ſoluendam comitialibus, ſiquidem aquam pituitasq; detrahit. Scāmonia obolis duobus cum caſtorii quatuor drachmis Paulo authore. Agaricum obolis tribus in aceto mulſo. Cucurbitæ ſylueſtris medulla denarii inſtar in aquæ mulſæ cyathis duob⁹, quibus & ruta incoċta ſit, epota. Serum laċtis comitialibus prodeſt, deieċtionem molliēdo. bibitur autē heminis per interualla ſingulis diebus, quinis.

Lib. 7. c. 10. *Lib. p. c. 10.* *Plin. nat. hiſt. lib. 25. c. 5.*

His igitur breuiter conſtitutis & præſcriptis, ea quæ comitiales coarguūt ſimplicia medicamenta, & compoſita

Comitiales coarguentia

ſcribere

ſcribere oportere exiſtimamus. Ac mihi quidem uidetur coniunctim agendum de his, quibus deprehenduntur comitiales, deq; iis, quæ ab acceſsione liberant. Coarguunt igitur comitiales ſuffimenta, bitumen, uel lapis gagates prius igni admotus, & naribus inditus: uel cornu caprillum, aut iecur hircinum comeſtum, & iecinoris toſti odor Plinio authore. Quo ex loco uel Auicennæ, aut eius ſaltem interpretis erratum deprehenditur, qui pro bitumine myrrhā eſt interpretatus. quæ tamen res Dioſcoridi, præterquam quod Paulo, aduerſatur, & Galeno repugnat. Illud idem teſtatur Alſaharauius, in quo etiam errore uel Meſuæus ipſe, uel eius interpres uerſatur. Ceruini etiam cornu odore deprehenduntur, ſi accendatur. Similiter etiam ſi nares comitialium opobalſamo tangantur, concident. Acaciæ item puluis ſi cū aqua calente acceperint: & ſi continuo corripiantur, inſanabiles erunt. Sin uero febricitarint, facilius liberantur. Si plantæ ægri ſubterlinuntur menſtruo mulieris ſanguine, comitiales excitari idem Plinius refert: multoq; efficacius, ſi ab ipſa muliere, & ignorante. Sulphuri tanta uis ineſt, ut eoſdem deprehendat nidore impoſitum igni. Internoſcuntur etiam hoc modo. ægrū pelle caprina opertum mari intingito, ſtatim enim concidet. Aranei parietum ſuffumigium: Canis item ſtercoris latentes comitialeis ſemper repentinis caſibus publicauit. Idem & Apium facere credidit Auicennas. Syluestre tamen, non hortenſe, hoc poſſe experiētia comprobatum eſt. primum enim Hippoſclinon græci uocāt: alterum apium ſatiuum latini, quod noſtratibus petroſelinon perperam diciturne. que enim ſatiuum ſupra modum æſtuans, excrementitiaq; humiditate pollet, qua Hippoſelinon, Syluestre inquā, cuius meminit Auicē nas ſub apii ſimpliciter prolati nomine, præditū eſſe conſtat. Quæ uero ab comitialibus acceſsionibus liberant, hæc ſunt. Thymi olfactus comitiales excitat. aiunt & dormire eos in molli thymo oportere. addunt præterea, quod poſtquam conciderit æger, ſi admotum thymum apprehendat

Margin notes: bitumen; lapis gagates; p. 3. tr. 5. c.; pr. 3. tr. 5. c. Apiu; Apiu satiuu; Comitiales excitans; Thymu

hendat, curari eum poſſe, ſin ſecus, minime. Aniſum illitum. Peucedani radix nidore idem præſtat. Ruta item ſylueſtris trita, & naribus admota ab acceſsione liberat, Alexandro authore: id quod non a ſeipſo ſolum, uerum & ab aliis comprobatum, experimento refert. uehementer enim calefacit, ſiccat, ſecatque ac diſcutit. eapropter ſecandi craſſos humores, eoſque attenuandi perq; halitum digerendi facultatem obtinet. Cedrides etiam odore comitialibus ſubuenit. Fel teſtudinum illitum comitiales erigit, attollitque. Galbanum item comitiales ſuſcitat, Dioſcoride authore. Auicennas autem, uti aſſolet, inconſtans uiſus eſt. ſiquidem uno in loco cum Dioſcoride conuenit, alibi uero diſſentit. Si quis autem Auicennæ ſtudioſus hominem tutari uelit, præſertim quum nō Galbanum tantum, ſed & myrrham, & caſtorium addat, ita meo quidem animo tutari poſsit. ſi dicat hæc eadem & comitialeis coarguere inſultus, & eoſdem ueluti cauſſas externas efficere, unaque etiam diſcutere. ſi quidem hæc omnia, ut pote plurimum per ſeſe habituoſa, humores qui cerebro impacti ſunt, frigidos & quietos calefaciunt, extenuant, ac per halitum digerunt: pronoſque efficiunt, ut ad cerebri ſinus præcipites ruant, ut comitialis propterea fiat inuaſio. ita igitur & coarguunt, & efficiunt comitiales inuaſiones, in quibus ſuffitus ex iiſdem factus eundem quum humorem extenuet, ac digerat, fit, ut facilius expellatur, atque inde animans ab acceſsione liberetur.

lib. 1. c. 15. lib. 1. c. 96.

Comitiali quinetiam prolapſo, ubi a magnis pedum digitis ſanguinem Lancinatu extraxeris, labia, frontemq; ipſius inuagito, atque inde reſurget. illud quoque mirificum eſt. duo Lapilli in hirundinum pullis diſſectis inueniuntur, quorum unus quidem niger, albus alter exiſtit: comitiali prolapſo eos imponito, ac ipſum excitabis, nigrum uero cuti adligato. At hirundines dicuntur primo pullo hos lapillos dare, qui non facile inueniuntur, niſi uniuerſi pullis diſſectis. Chamæleonem item oleo incoquito, donec intabuerit, & oleū ſpiſſeſcat. conſum-

pto

pto autem animali, ossa ipsius selecta in locum solis expertem reponito, ac comitialem prolapsum in uentrem conuertito, oleoque dorsum a sacro osse ad primã usq; uertebram inungito, ac statim excitabitur. hoc ubi septies feceris, ex toto ægrum liberabis. oleum autẽ pyxide recondito. Cæterum hactenus ista.

Comitialium uero morborum, qui lege quadam consortii a uentriculo fiunt, curatricem methodum tradamus. Si igitur stomachus primario affectus morbũ inuexerit, inspiciendum est, qualis in eo congestus humor fuerit: & siquidem biliosus, omnia tentare oportet, ut quam celerrime inde auferatur: atque ne in posterum bilem ei producere concedamus. procurandumq́; ne aliunde in uentre prorsus confluat. illud autem optime consulueris, si citius cibum exhibeas. ubi enim totius corporis biliosius temperamentum est, uenter imbecillus utiq; cibo, qui uentrem roboret, ἐυςόμαχον uocant, firmari postulat. Quod si non ita prospiciatur, defluunt in eum, quas corpus cogit, superuacuæ sanies, quas græci ἰχῶρες uocant, ex quarum uapore non capitis tantum dolores nonnullis oboriuntur, sed comitialis etiam conuulsio. Procurãdum igitur maxime fuerit uti ægrotus facile cõcoquat, neque cibum ante obitam concoctionem assumat, cruditatemq́ue per totum uitæ spacium maxime uitet, totaque uictus ratio temperans adhibeatur, quæ nihil habeat acre, aut pingue, aut oleosum, aut salsum: hoc enim bilem parit. Panis igitur recte elaboratus ex uino aliquo leuiter adstringente, alboque colore, & temperato, aut ex aqua admodum calente ad horam secundam, aut tertiam assumatur. neque animus impensius exerceatur, uel studiis, uel aliis sollicitudinibus, aut ullis negociis: alioqui morbi accessio ingrueret: quemadmodum libro secundo præceptum fuit. Cæterum enixe studendum est, uti uitiosi humoris tum naturam, tum locum, nempe in qua uentriculi parte resederit, cognoscamus: siquidem enim humor aliquis calfaciendi, aut ẽt refrigerandi uim obtinens uentriculi imbecillitatem ef-

fecerit: diligenter conſiderandum eſt, num is humor in ſinu uentris innatet, an eiuſdem impactus ſit tunicis. qui ſi in ſinu contineatur, bilioſusque fuerit, uomitu ſta-tim reiiciendus erit, quem ciborum accremento, quum oportunitas dabitur, citare expediet. Ptiſſanæ igitur cre morem, uel quidpiam aliud ante uomitionem quod hu-mectet, exhibeto. facilem uero uomitum efficiunt aqua tepens, aut mulſa perquam diluta, & epota. Quod ſi in uentriculi tunicis bilioſus fuerit humor receptus, abſyn thii potum, aut medicamentum ex aloe, πίκραν uocant: bis terue ſingulis annis dare his expedit. quippe hæc quod altius in tunicas bilioſi uentris ſeſe receperit: ex-purgat, abſynthio parum id præſtante, neque enim ul-lum aliud medicamentum ad uitioſos humores in uen-triculi tunicis impactos inueniri poteſt. Ventriculus interim utrouis modo extrinſecus nimirum, & intrin-ſecus iis roborabitur, quæ leuiter adſtringant, neque im penſe refrigerent. cuiuſmodi ſunt ſacchar, roſaccum, cy donitis ſacchare parata, atque id genus reliqua. Extrin-ſecus autem quæ uentri admoueatur, unctiones, hæ mo dice adſtringant: ut melinum, maſtichinum, nardinum & eiuſmodi alia. At æſtate potius melinum, hyeme nar-dinum, Vere maſtichinum. At ſi frigidus ſtomachus pi-tuitoſum congreget humorem, qui eius amplitudinem occupet, atque hinc caput male ſimul afficiat, & conuul ſionem pariat, conſilium eſt, ut oxymelite utaris tum ſim plici, tum compoſito, aut etiam ſcyllino. Quòd ſi tuni-cis eiuſdem infarctus fuerit, tum prius iis utaris, quæ lẽ-tam pituitam ſecant, abſterguntque, poſt deinde repur-ges. Eſt autem & ad huius humoris purgationem nõ in-utilis hiera tum ſimplex, tum quæ ex ſylueſtri cucurbita paratur: tum quæ compoſita eſt, Galenoque adſcripta. facit etiam præclare ſal purgatorius ab Actuario deſcri-ptus: ſiquidem quod inſedit aluo, aut interaneis coiit, pituitam elicit, & reliquos educit humores: commodiſ-ſimusque illi exiſtit, qui, ſtomachi male affecti conſortio, comitiali malo captus, iugiter cadit. quo ſi utatur, non

paruas

paruas mihi gratias referet. a morbis enim uindicat omnes, qui ipso familiariter utuntur. Ventriculus deinde roborabitur ex antidotho trium piperum, Diacalamintha, gingibere cõdito, atque eo quod Ἀσύγκριτον ab Actuario nuncupatur medicamento. extrinsecus uero bis terue in mẽse oleo perfundetur, præsertim chamæ, melino, gleucino, absynthite, nardino, mastichino, atque eo, quod ex menta parari solet. Illud nanque magis adhuc calfacere, & quod imbecille est, firmare poterit: ut etiam probe concoquat: quo nullum est in omnibus quidem affectibus, præcipue uero in comitialibus præstantius. Quòd si nec stomachus, nec caput morbi habet originẽ, considerandum est, num ex alia quapiam corporis parte hic sumat initium. Nam alii a superiore pedis parte, quæ ταρσὸς græce dicitur: alii a tibia, alii ex alia particula morbi inuasionem sentire uisi sunt. & si quidem tale conspectum fuerit, etiam illi potissimum parti prospiciendum, & tota ei curatio admouenda. Vbi igitur affectus hominem ex particula quapiam inuadere percipitur, siue ea manus, siue pes fuerit, siue alia quæuis corporis pars, fune excipi ualenter debet, quæ superposita est: ita nãque accessio reuerti prohibebitur. Quum uero remittit accessio, peracta uniuersi corporis purgatione cum hiera ex colocynthide, aut cocciis a Razæ nuncupatis, aut iis quæ pituitam nigrumq́ue repurgant humorem, aut id genus aliis medicamentis, uapores tum deligaturis, tum frictionibus ualidioribus sunt auertendi. deinde medicamenta, quæ rarefaciendi uim habeant, malamq́ue partis temperaturam, unde malum oritur, emendant, apponenda. Succedente etiamnum tempore adurens aliquod medicamentum particulæ inducetur. cuiusmodi est lepidium, idem nanque etiam alia quædam præstant: ut Diacantharidos, & quod ex Thapsia, aut sinapi conficitur. Sed nullum adeo ut ea herba. hæc enim partem exulcerat, extenuat, & calefacit. Cucurbitulæ item multa cum flamma cute prius incisa defigentur. Interim quoque & hirudines. hæc enim certam salutem

promittunt. Post quæ membra roborentur, in primisq; cerebrum, ne id genus uaporibus amplius afficiatur. Illud autem optime præstabit Theriace, & Mithridatis antidothus, & reliqua eiusmodi, quorum supra diligentissime meminimus.
Post uero omnia commemorata medicamenta naturales balineæ, idest naturali uirtute medentes locum obtinent non in hoc tantum morbi huius genere, sed & in aliis omnibus, quæ quum ampliter & calfaciant, siccentq;, humidis frigidisq; affectionibus, cuiusmodi comitialis existit, mirifice conducunt. Sint autem tales, quæ nulla odoris uexatione afficiant ægrotantes. etsi Erasistratus hos eosdem comitiales homines ab iisdẽ lauacris arcet. Horum autem quum multiplex sit facultas, si quidem aliæ nitrosæ, salsæ aliæ, quædã aluminosæ, nonnullæ sulphureæ, quædam bituminosæ, aut æreæ, ferreæ ue reperiuntur, quædam compositæ ex pluribus cognoscuntur.

Gal. de uena sectien. aduersus Erasistratos cap. 9.

Inter omnes uero, quæ nitrum salemue obtinent, eæ capiti, stomacho humentiori, pituitosisq; sunt accõmodæ. Quum igitur in terra Italia multæ percelebres sint balineæ, eæ sane ex usu esse maxime creduntur, quæ in agro Viterbiensi reperiuntur. hæ nanque eandem propemodum, quam diximus, temperaturam sortitæ sunt. Cæterum non utcunque, sed sine tumultu, & lente in aquam descendere oportet, quo uirtus corpori dissoluto accedens immergatur.
Hæc est igitur secundum ordinem methodica comitialis morbi curatio: in qua illud scire cõuenit, quod quem admodum ulcerum recentes cicatrices facili occasione soluuntur: ita & hæc affectio, uel alia quæuis similis paruo impulsu repetit corpus, quod proxime dimisisse uidebatur. Quòd si forte fortuna neque ita æger a comitiali morbo liber euaserit, nihil minus tamen adhibendum, sed magis perseuerandum curatione fuerit. dabit enim hæc diligentia uel ex parte beneficium, quo neque frequentius admoneatur ægrotus, neque longioribus inuasionibus opprimatur, neque turpiter in furore, uel pu-

blicis in locis deprehensus etiam post affectionis impetum animi luctatione uexetur. quibus enim prima uel optata non proueniunt, erit secunda mitigationis caussa capienda.

Habes, optime Flaui, meũ de comitiali morbo iudiciũ, quod aut sequeris, si probaueris, aut tuo stabis, si aliud quoddã est tuum, in quo neq; tecum pugnabo, neq; hoc meum unquam affirmabo esse uerius, quàm tuum. Potest enim non solum aliud mihi ac tibi, sed mihi ipsi aliud alias uideri: nec in hac modo re, sed ne in maximis quidem omnibus aliis quidquã adhuc inueni firmius, quod tenerem, aut quo iudicium meum dirigerem, quàm illud, quodcunque mihi quàm simillimum ueri uideretur, quum ipsum illud uerũ in occulto lateret. Tu autem uelim, si tibi ea, quæ disputata sunt, minus probabuntur, ut aut maius opus institutum putes, quàm effici potuerit, aut dum tibi roganti uoluerim obsequi, uerecundia negandi, scribendi me impudentiam suscepisse.
Testificor enim me a multis etiam rogatum, quibus non parere nefas esse duxissem, & recusantem hæc scribere esse ausum. Volo enim mihi tecum in primis esse crimen, ut si sustinere tantam quæstionem non potuerim, iniusti oneris impositi tua culpa sit, mea recepti. in quo tamen iudicii nostri errorẽ laus tibi dati muneris compẽsabit.

F I N I S.

INDEX RERVM OMNIVM VEL SCITV OPORTVNARVM, VEL LECTV DIGNARVM,

QVAE HIS TRIBVS CONTI-
nentur libris, quo quod quisq;
uelit, omnem citra labo-
rem facillime con-
sequatur.

Alex.

Comi-

Comitia-

Comitie=

Democriti

Fibrinum

Hiera

Iecur

N

O

Oßium

Pto=

S

morbis

X


FINIS.

REGISTRVM

* A B C D E F G H I K L M N O P

Q R S T V X Y Z, AA BB CC DD EE FF.

Omnes sunt quaterniones.


AL DVS

Bought Davis & Orioli

London

Dec 1940

1895